JUCUNDI SACRAE SYNAXEOS AMORES, SIVE CHRISTUS IN EUCHARISTIA...

Guillaume Grumsel

Digitized by Google

6
19-b

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 F
37

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6.-19.b.45

JUCUNDI SACRÆ SYNAXEOS AMORES,

SIVE

CHRISTVS IN EUCHARISTIA

SUMMOPERE

AMANS ET AMABILIS.

Libri Tres,

Authore

R. P. GUILIELMO GRUMSEL,

Leodienſi, Societatis JESU Theologo.



LEODII,

Typis JOANNIS MATHIÆ HOVII, ſub ſigno Paradiſi Terreſtris. 1659.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. SEC. COLL. ROM.

REVERENDO

ADMODUM DOMINO

D. PETRO DE SLINS,

INSIGNIS ECCLESIÆ

COLLEGIATÆ S. PETRI

DECANO MERITISSIMO,

AC TOTIUS

CLERI SECUNDARII LEODIENSIS

PRÆSIDI

Longè Digniſsimo.

BIBLIOTECA ... ROM ... VITTORIO E...

REVERENDE ADMODUM DOMINE,

Nominis tui fama non ſolùm inclytam Leodienſium Civitatem atque Patriam longè latéque pervaſit, verùm

etiam huc ad nos uſque ad Montes Hannonios penetravit, eoſdemq́ Phœbi & Muſarum Aonios. Inde factum eſt ut cùm ipſe mecum animo perpenderem & ſciſcitarer cujus nomini, quod meditabar opus, poſſet inſcribi; non nemo ſtatim ſuggeſſerit eam eſſe modò meritorum Tuorum amplitudinem, ut ſibi non tantùm in Honoris ſubſelliis, ipſisq́ etiam viventium ætate noſtrâ hominum ingeniis locum vendicent; ſed planè eſſe digna libris, quæque vivant in omni retro ſecutura Poſterorū memoria. His ego nunciis lætus, publico quaſi deſiderio ceſsi lubens: ad quod inſuper acceſsit Leodio Parentum illic meorū tam amoris quàm cognationis vinculo Tibi obſtrictorum par voluntas atque poſtulatio; quæ nempe jam calcar ſubderet currenti, & ſanè nil erat quare dubitarē eum mihi virum

vltro

vltro depoſcere , cujus humeris nixa hæc operis novi moles meliùs ſuſtentari poſſet. Erigimus enim hic, REVERENDE ADMODVM DOMINE, aliquod Chriſto JESV debitæ gloriæ monumentum: quod etſi titulis innumeris ubique ſit ſibi promeritus, nullibi tamē illo dignior videtur quàm ubi noſtrâ causâ minimè glorioſus apparet; quàm ubi à ſe quodammodò deſciſcit ut noſter fiat; quàm ubi alienis ſe tegit figuris ut ſuis in nos ſerviat amoribus, ſeq; meliùs noſtris uſibus adaptet. Quem verò aptiorem laudum ejus Præconem potuiſſem optare quàm illū cui cura eſt & voluptas diurnis nocturnisque horis ejus nomen alternantibus celebrare choris? A quo meliùs ſplendorē acciperet parvum hoc ipſius gloriæ trophæum quàm à virtutum Tuarum claritate? Quâ denique viâ

¶ 3 felicius

feliciùs ejus notitia quàm illi præfixo nomine Tuo divulgetur. A Te nimirū velut à Capite, ad reliqua totius iſtius Myſtici Corporis nobilia membra, ad omnem dico Clerum cultus ejus amorq́; reciprocus derivabitur. Tui etiam hic memor fui. Divorū ſanguis LEGIA, *in hoc Venerando Cive tuo filioq́; ; ſed neque immemor mei. Tu multis quidem nominibus mihi colēda es & amabilis; ſed hoc potiſſimum uno, quod adeo ſemper teneris in ſacram* EUCHARIM *amoribus exarſeris; quod ſolemne illud* Sacratiſsimi Chriſti Corporis *Feſtum, toto jam Orbe receptum, ante omnem illius inſtitutionem, ſponte tuâ, divino tamen monitu, Nationum omnium prima, indicto feſto et ſupplicationibus publicis honoraris. Huc venio tuæ ſubminiſtraturus alimenta flammæ; in illo ſcilicet qui ut millenos ex tuis*

Alumnis

Alumnis per annos plures Philoſophicis ſcientiis, probisq; moribus imbuit, ita tuis ſemper ignibus incaluit aris tuis Myſtes ſacratus, ſic habet ADMODVM REVERENDE DOMINE, Tu ad inſtar Deæ Veſtalis ignes illos puriores amoris Euchariſtici noctu diuq; in cordis tui Auguſtali, tanquam in ipſius Numinis adytis, ſemper foviſti. Explicabunt ſeſe modò illi liberiùs, & ſane Te pluſquam uno titulo mihi cognato ſanguine junctum agnoſcam, ſi eodem mecum ſtudio, quas Muſæ flammas in vulgus diſpergunt, pro communi quem uterque à Patriâ & Parentibus hauſimus ſpiritu & honorandi iſtius Myſterii zelo, quâ vales authoritate, promoveas: ut per nos, tam amore digno, tam in omnes munifico, tam ſui prodigo Amatori mutua omnium litentur corda, omnium

omnium accinant ora, omnium famulentur officia. Ita Vive Valéque diutiſsimè felix. Montibus Hannoniæ 9. Novembris 1658.

REVERENDÆ ADMODUM DOM. TUÆ,

Addictiſſimus

GUILIELMUS GRUMSEL.

FACULTAS R.P. PROVINCIALIS

EGo infraſcriptus Societatis JESU in Gallo-Belgicâ Provincialis, juxta Privilegium eidem Societati conceſſum, quo Typographis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſsione imprimant, facultatem do MATHIÆ HOVIO Typographo Leod. ut Librum cui titulus *Iucundi Sacræ Synaxeos Amores, ſive Chriſtus in Euchariſtia ſummopere amans & amabilis. Libri tres Auctore R. P.* GUILIELMO GRUMSEL *Leodienſi Societatis* JESU *Theologo*, ad ſex annos proximos imprimere & liberè diſtrahere poſsit. Datum Ariæ 4. Novembris anni 1658.

HUBERTUS WILTHEIM.

APPROBATIO.

IUCUNDORUM SACRÆ SYNAXEOS AMORUM delectabilem, Allegoricam, moralem Poëſim, à Sanctiſſimo divinam Sacramento, à ſacris facibus & ignibus lucidam, ardentem, ſubtilem, doctam, ſiniſtrâ Fidei & morum carentem notâ, apprimè fluidam, fluentem lac & mel, nectar & ambroſiam, omne delectamentum in ſe habentem, idoneam valdè judico quæ piis piè famelicis & ſitibundis mentibus propinetur, imbibatur, apponatur, edatur, in vitam, accretionem & alimoniam ſpiritualem, gratiam & gloriam perennem. Divina Pallas, id eſt, Sapientia det amantibus ſenſum & guſtum, aut det ſeu faciat amantes; & ſentiant quę ab hac ſacratiſsima Poëſi dicuntur, Domine da amantem, & ſcit quod dico, ait Præſul Hipponenſis. Actum Montibus. 10. Septembris 1658.

THEODORUS PLICETTE,
S. Nicolai Parochus, S. Theologiæ Licentiatus, Librorum Cenſor & Viſitatator Archiepiſcopalis.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

S*Acramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei revelare, & confiteri honorificum, ait ad Tobiam Raphaël.** Bene monet ſacer ille Genius, etenim Regis arcana ſecreta, quæ & Myſteria & Sacramenta dicuntur, non tantùm ob fidem illi datam non aperire bonum eſt: ſed etiam ob utilitatem publica; regni quietem planè neceſſarium, Contra verò potenti atque munificâ Dei manu opera patrata publico vocis præconio celebrare, laude dignum eſſe idem ille meritò judicavit, exemplo ſuo judicium firmat: ubi quæ ſub aliena latens figura, Dei beneficio & ſingulari pietate, paucas in perſonas bona contulit, volens lubensque cōmemorat. Mihi ſubdit utróque facem; quem ſanè potiori jure beneficia longè potiora provocant ad loquendum. Illa inquam dicere aggredior, non quæ è ſeptem adſtantibus ante Deum Angelus aliquis, ſed quæ Deus ipſe Ter Optimus Ter Maximus, non in unam alterámve ſibi præ reliquis dilectam familiam, ſed in omne hominum genus, ſub peregrinâ, etiam ac velut emendicatâ ſpecie diſsimulatus bona profundit.

Caſto

* *Tob.* 12.

Caſto tamen myſteria veneranda ſilentio, ſuâque ſat laude commendata, non tam verbis extollere, aut dignè eloqui eſt animus, quàm exponere. Damus unde ſuaviſſimos animi paſtus optimus quiſque capeſſat. Sacros atque jucundos bene amantium amores prædicamus, eos ad fontem Euchariſticum, hoc eſt gratiarum pleniſſimum deducimus: & certè ſi Oratorum Principis opinione, * ardentes ſui amores excitaret Sapientia ſi humanis oculis videretur, quæ non ad ſe corda rapiat, quos non exſtimulet amores ipſamet induta jam corpus increata Æterni Patris Sapientia? atque adeo ſingulorum hominum corpora, ut in illis ſub eſcæ formâ mentes alat atque ſuſtentet, domicilii cujuſdam vice non dedignata. Quem non illa ad ſe trahat dulciſſimi amoris illecebris quæ toties quaſi prodiga ſui, humanos in artus, certâ quadam ratione denuò cupit venire, quot ad teneros amplexus, ad Euchariſticas epulas admittit Mortales? ut non immeritò Doctor Angelicus Euchariſtiam, quãdam Incarnationis extenſionem appellaverit. Nempe ſtupendo planè artificio, & ab ingenioſa charitate excogitato Chriſtus verè Fratrvm amator, nos eâ quâ poteſt ratione, ſi non æquales paréſque ſibi, certè quo-

* *Cicero de Finibus.*

quodāmodò ALTEROS SE facit. Si nos omnes atque ſingulos ad Hypoſtaticam cum divina natura conjunctionem (quæ linguę meę petulantia) non evehat; tamen ad arcta ſecum amoris vincula, ad delicias inenarrabiles, ad profuſiſsimæ munificentiæ ſuæ theſauros, ex ipſo ſe eruendos invitat. Quæ olim mente præſagâ videns Propheta in has voces exclamavit: *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?** Deterrere me à propoſito primâ fronte poterat ipſa Myſterii majeſtas; niſi de illo me agere intellexiſſem, qui etiam ex ore infantium atque lactentium laudem perficit ſuam, & nequid in acceptione vocum hallucinari quiſpiam poſſit; ſcripſimus hæc Catholicis: qui ita totum in Sacramento Euchariſtiæ Chriſtum venerantur & colunt, ut non panis unà ſubſtantiam cum Lutheri Aſſeclis, ſed ſola ejus accidentia remanere, firmâ fide teneant: quique multò minùs cum impiis Calvini ſectatoribus Sacramentum hoc panem eſſe merum, non ſine atroci amantiſſimi Authoris injuriâ contendant. Sed & litterarum peritis hæc elaboravimus; qui ſynecdochicè multa, ut partem pro toto, vel metonymicè Cererem pro pane uſurpari poſſe ſat norint.

Breves

* *Zachar.* 9.

Breves interdum annotatiunculas ad pagi-
narum calcem adjeci in Tyronum & rudio-
rum gratiam. Quid quiſque liber ferè con-
tineat, ſummatim in cujúſque capite videre
eſt. Quos affectus eliciat quiſque, vel alli-
ciat, malim ego, amice Lector, tuo ipſe
ſenſu guſtúque probes quàm verbis meis.
Vale, & amoribus noſtris amores repende.

INDEX

ELEGIARUM

LIBRI PRIMI.

Facit hic potiſsimum ad aliquam in hoc Myſterio Chriſti erga nos amoris commendationem: eiusquè teneros affectus quà nonnullis figuris, quà celebrioribus hiſtoriis illuſtrat.

1. *POëta argumenti præſtantiâ terretur.*

2. *Ad ætatis noſtræ Poëtas, cur hanc ſibi materiam delegerit.*

3. CHRISTUS *in minimo maximus.*

4. *Quàm prompta ſit, & quàm diffuſa latè Chriſti hoc in Sacramento munificentia.*

5. *Filiarum, quæ lacte ſuo Parentes ſuſtentarunt, pietas amori Euchariſtico cedit.*

6. CHRISTUS *per Euchariſtiæ Sacramentum ignem venit mittere in terram.*

7. *Mirandus Artemiſiæ Reginæ in Regem Mauſolum amor amore Euchariſtico minor eſt.*

8. Ad hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

9. CHRISTUS *eò majori dignus eſt honore excipi, quò minore venit apparatu.*

10. *Joſeph à Pharaone Salvator Mundi proclamatus, ſacræ Euchariſtiæ figura quædam eſt,* Geneſ. 41.

11. CHRISTUS *in Euchariſtia munificentiſſimus, ab omnibus Rex haberi promeretur.*

12. *Quam ſit* CHRISTO *jucundum ſe bene præparatis in cibum dare.*

13. *Lex vetus timoris fuit, Incarnatio lex amoris, quam Euchariſtia confirmat.*

14. *Exploditur Calvinus non* CHRISTUM, *ſed panem nobis relictum eſſe fingens.*

15. CHRISTI *amor inexplebilis humanum hic excitat amorem.*

16. CHRISTUS *in hoc Sacramento perpetua eſt Amoris victima.*

17. *Animi* CHRISTUM *in Venerabili Sacramento redamantis ardores.*

JUCUNDI SACRÆ SYNAXEOS AMORES, SIVE CHRISTUS IN EUCHARISTIA SUMMOPERE AMANS ET AMABILIS.

LIBER PRIMUS.

ELEGIA PRIMA.

Poëta Argumenti præſtantiâ terretur.

DELICIAS in amore cano; cano dulcis JESU
Nectareos ſuccos, ambroſiasque dapes.
Ille ſuâ noſtrum dulcedine provocat ignem:
Et damus huic victas præda beata manus.

Militiæ gerit arma novæ quâ ſubjugat Orbem;
Illecebris certus corda domare ſuis.
Et licet à menſis armorum diſcrepet uſus,
Nos vocat ad menſas, & nova bella parat.
Non tamen hîc haſtâ pugnat, vel acinace Medo!
Sed quæ melle fluunt, pectoris arma movet.
Illa miniſtrat Amor: nullique nocentia mittit
Altera tela favos, altera tela faces.
Cor pharetra eſt jaculumque; ſuo dum melle liqueſcẽs,
Totus in humanos geſtit abire ſinus.
Ore capi gaudet; nam ſedem pectoris ambit;
Fitque ſiti noſtræ potus, & eſca fami.
Muſa novum miratur opus: ſub pondere rerum,
Materiâ vires exuperante, gemit.
Dive Seraph, quicumque focis cæleſtibus adſtas,
Per mea rurſus eat flammeus ora lapis. *a*
Dexter ades, tenerasque faces, aſſiſte canenti,
Quas medius menſis ejaculatur Amor.
Fallor? an aſſenſu Divorum conſonat æther?
En ſubitò faciles dat chelys icta ſonos.
Ignibus afflari me ſentio: ſentio flammam,
Quâ Cereris medio flagrat in orbe Deus.
Quid video? nova forma rubi eſt, quem viderat olim
Judaïci Moſes gloria duxque gregis. *b*
Intemerata focis nequeunt frumenta manere:
Et tamen hîc ſpeciem, ſpica, manentis habet.

Diva

a *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de Altari, & tetigit os meum, &c. Iſay.* 8.

b *Apparuit Dominus Moyſi in flamma ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Exod.* 3. *Solve calceamentũ de pedibus tuis, & c.*

Diva Fides in vota veni: myſteria pande:
Quæ, rogo te, viſus ludit imago meos?
Excipit illa celer: mirari deſine Vates;
Acta ſequi neſcis quæ ſacer edit Amor.
Imperium toto Orbe gerit: face victor & arcu
Regnat, & in ſummum ius habet ille Deum.
Non hunc Virgineam rurſus jubet ire ſub alvum;
Præ qua vilis humus, vilis olympus erat.
Sed facit ut quoſvis adeat ſine laude receſſus,
Condat & in minimâ maxima dona notâ.
Quam ſpectas, nec adeſt, Cererem ſacer hauſit Amoris
Ignis: & ipſa Deo dat modò flamma locum.
Adventum teſtata Dei cadit intus ariſta:
Sed manet occultâ forma ſuperſtes ope.
Hæc ego miratus; bene vertant omina, dixi:
Lætitiæque ſeges, ſit ſeges illa, meæ.
Utque reor; fiet: nam dum loquor, influit ora
Nectar; & augurio candida ſigna favent.
Terge Thalia pedes; adytis ſiſtemur, & aris;
Hîc ſuperos ignes, hîc ſacra mella cane.
Ire juvat: ſed quis me concutit horror euntem?
Quis tacitè revocat vota, pedemque metus?
Qui dedit acceſſum Deus idem acceſſibus arcet:
Prô Superi! quantum pondus ariſta gerit!
Os preme, flecte aliò viſum, mea Muſa; Poëtæ
Ne pia conſceleres os, oculosque tui.
Tam celſis minor es conſpectibus: ede remiſſæ
Apta lyræ: nimis hîc grande movetur opus.
Ingemuit viſâ, quâ gaudia cœperat Arcâ
Bethſamus, & viſus crimina morte luit. a

a *Percuſſit Dominus de Viris Bethſamitibus eo quod vidiſſent Arcam Domini, quinquaginta millia plebis.* 1. *Reg.* 6.

Ultor adeſt idem ille Deus: non anxia palles.
Ne temeres oculo Sacra verenda tuo?
Oza metus auget: titubantem ſublevat Arcam;
Ipſius & vitæ ſola ruina fuit. *a*
Contigerat ſacra ligna pio temerarius auſu;
Et metam vitæ contigit ille ſuæ.
Tangere tu Numen numeris levioribus auſis?
Auſis aſtra rudi ſollicitare lyra?
Ore Deum tacito veneremur: ſentiet ille
Nos Majeſtatem pertimuiſſe ſuam.
At ſic lux deſit facibus, lux deſit Amori;
Tamque pium nullâ laude feratur opus?
Et ſileatur Amans; qui dum caput abdit in umbram,
Luce, vel hoc ſolùm nomine dignus erat?
Non patiar: ſtat cœpta ſequi, nec inerte camœnâ:
Sentio cor duci melle, cor igne rapi.
Hæc duo præſtat Amans qui melle liqueſcit & igne;
Inque ſuo nullum ponit amore modum.
Inde calor cordi, liquor incidit inde labellis:
Inde mihi ſurgit carmen; & inde fluit.
Entheus hic calor eſt, animoſque in carmina ſubdit:
Entheus & liquor eſt qui replet ora ſono.
Hinc fit ut audacem ſpirent præcordia Phœbum:
Hinc quod ſpirârunt pectora, lingua canit.
Atque ubi deficeret Latiæ facundia linguæ,
Imparibus Vates ludere poſco modis.
Spiritus hic ab Amante ſalit: ne, Muſa recuſes
Nunc validè cœpti pondera ferre tui.
Non deeſt officio, numeris ſi gratia deſit:
Melle cor oblectas, pectus amore moves.
Lectorem ſtimulabit amor quem mella nequibunt;
Quemvè nequibit amor ducere, mella trahent.

ELEGIA

a Extendit Oza manũ ad Arcam, & percuſſit eũ Dñs. Ib.

ELEGIA SECUNDA.

Ad Ætatis noſtræ Poëtas; cur hanc ſibi materiam delegerit.

Virgineâ lauro redimiti vivite Vates,
In quorũ legitur Cypria nulla libris.
Vos Charites, vos Phœbus ament: vos Pallas honoret:
Vos colat Aonii turba novena chori.
Vos vehat aurato per terras Gloria curru;
Famaque de bifido tollat in aſtra jugo.
Vivite, quos Virtus nunquam moritura coronat,
Phœbe, tuâ pluſquàm fronde, Minerva, tuâ.
Vivite; quando viris etiam nunc funere functis
Altera de veſtro carmine vita redit.
Cumque manum injiciet reliquis damnoſa ſenectus,
Scripta vetuſtatem veſtra, librique ferent.
Pace tamen Phœbi tantas queror æmulus artis
Inter opes, numeris multa deeſſe ſuis.
Hei mihi! cur de tot, quot amant Helicona, Poëtis
Nemo canit plenâ Fercula magna lyrâ?
Quis Dapis æthereæ titulos fert fronte libellus?
Crevit ab his Vatum pagina rara notis.
Flos tamen, ac gemmæ, fac ſit modò ſenſus in illis,
EUCHARIS inſcribi nomen, & acta velint.
Quin meritis libros implet, quin laudibus aures,
Noſtra ſalutifero quæ replet ora cibo?

EUCHARIS eſt; aliàs Latiâ bona gratia voce:
Immemores animos arguit ipſe ſonus.
Si qua ſit in vobis, ô Muſæ, gratia, gratum
Hîc date feſtivâ voce, piâque melos.
EUCHARIS eſt; Charitum ſedes: ubi regna tenere
Et Charis, & Virtus, & Pudor omnis amat.
Fons ſalientis aquæ eſt; ubi cordis mitigat iras
Fulmina qui ſuperâ torquet ab arce Deus.
Haud alibi Chriſtus divinos ventilat ignes
Mollius: hoc flammam provocat amne meam.
Omne Deum commendat opus: ſed laudibus iſti
Concertans, nullum terra, nec aſtra vident.
Sidera quot cœlo, quot apes numerantur in Hybla,
Tot placet illecebris, tot facibúsque micat.
Palma tua eſt cœleſtis Amor, ſi pulcher ubique,
Pulchrior hîc, à ſe vincitur ipſe Deus.
Emicat ille magis latebroſi laude receſſus:
Abdita neſcio quod gloria lumen habet.
Acriùs irritat mentes, cor amiciùs urit
Illa tuis, JESU, tecta favilla focis.
Qui mala noſtra levas, & acerbæ tædia vitæ,
Carminibus vivas tempus in omne meis.
Corripe, Phœbe, moram; jam te luſiſſe decebat
Tantus ubi in menſis ludit Amantis Amor.
Debueras illi memorem ſacraſſe Libellum
A quo fama tuis Vatibus una venit.
Quotquot enim movere lyras & plectra decenter,
Moverunt illo plectra, lyraſque duce.
Sit bene qui partas deſcribat ab Agmine lauros
Sive tuo JESV, LOYOLA ſive tuo. *a*

Dignus

a *Petri Pennequini Soc. JESU primum ſæculum. Balduini Cabillaui Magdalena ejuſdem Societatis.*

Dignus & hic lauro eſt : at ſemine meſſis ab illo
Surgit, & è granis Euchari diva, tuis.
Sit qui triſte gemat; ſit qui procul Orbe remota
Flere ſcelus dociles in loca ducat avos.
Si Dolor, aut Pietas lacrymas affuderit ori ;
Eucharis ante ſuis corda rigavit aquis.
Mella Piæ Lacrymæ (ſignat vox iſta libellum)
Si qua pluunt, ſuperi ſunt ea mella cibi. *a*
Alter Naſo redit ; redeunt Heroïdes unà ;
Et celebrant cultis geſta canenda modis. *b*
Si qua ſuos illic memoret Cœleſtibus ignes,
Iſte dedit flammæ pabula prima cibus.
Wallius æternos videat, ferat *Hoſchius* annos,
Laude pares Muſæ, relligione pares. *c*
Qui tamen hos afflat, qui pectora numine complet ;
Eucharis à flamma ſpiritus ille venit.
Omnigenis alter ſua ſubdit acumina rebus ?
Ipſius & multo nectare ſcripta madent ? *d*
In dapibus ſacris Apis eſt; & acumen ab illa
Quâlibet hoc nectar ſuxerat ille die.
Non tenui rivo, at pleno fluit amne *Becanus*;
Quo, Fernande, tibi Vate triumphus iit. *e*
Ille tamen quos cantat, agit quos ille triumphos,
A ſacra ductos Euchari nemo negat. *f*

Æthere

a *Caroli Werpæi è Soc. JESU, Piæ Lacrymæ.*
b *Joannis Vincartii è Soc. JESU ſacrar. Heroïd. Epiſt.*
c *Jacobi Wallii & Sidronii Hoſchii Societ. JESU varia Poëmata.*
d *Adriani de Boulogne ex ead. Societ. Epigrammata.*
e *Guilielmi Becani è Soc. JESU Elegiæ Auſtriacæ, ſive triumphalis Sereniſſimi Principis Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis, in urbem Gandavum introitus, &c.*
f *Auſtriacæ Domus felicitas à V. Sacramento.*

Æthere lætus ovet Vates quem Belgica norunt
 Pulpita, perque novem, duxit Apollo choros.
Primus ut ille tulit Mariano carmine palmam,
 Vult ſibi de JESV primus AMORE dari. *a*
Detur iö! ſed, Chriſte, tuos dum ſcribit amores,
 Grandia vix tactis flumina ſtringit aquis.
Cogere complexu Cereales mille maniplos
 Tentat, & immenſum ferre puſillus onus.
At ſub mole viam nemo bene carpit iniquâ:
 Laxaque faſciculo grana fluente cadunt.
Si quis in incertum miſſis petat optima ſaxis
 Poma; licet demat plurima, plura manent.
Si ramo, quem mala gravant, inſiſtitur uni;
 Nulla queunt oculum fallere, nulla manum.
Eſt arbos, eſt Chriſtus ager: ſeges inde legenda,
 Pomaque proveniunt verſibus apta meis.
Dulce cano Granum, quod Solem, & frigora ſenſit;
 Unde Ceres nobis, grandeque ſurgit opus. *b*
Illa Ceres ſummâ modicâ tria ſumma recondit:
 Ac tegit exiguis maxima dona notis. *c*
Materiæ gravitate premor: ſub pondere Grani,
 (Crederet hoc quiſquam?) noſtra Thalia labat.
Divitis ingenii eſt magnus quæ fecit JESUS
 Scribere: pars horum ſola volumen erit.
Turba novena licet numeros contexeret illos,
 Deficeret numeris turba novena ſuis.
Multa canant; longâ ſuperabunt laude canenda:
 Laſſabunt digitos plectra, manusque lyræ.

Pane

a *Antonii Des Lions è Societ. JESU, de amore JESU.*

b *Auguſt. in Evang. Joan. 12. niſi granũ frumenti, &c. dicit: Dñs JESUS erat granum mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum.*

c *Tria ſumma; Chriſti Corpus, Anima, Divinitas.*

Pane repulſa fames hominum tot millibus olim
Reddidit abſumpto plena caniſtra cibo. *a*
Panis imago ſacri eſt : illi date cantica Vates :
TOLLITE carminibus FRAGMINA, NE PEREANT.

ELEGIA TERTIA.

CHRISTVS in minimo maximus.

NUnc juvat ima ſequi ; decus eſt nunc rebus in imis :
Splendorem clari nominis ima ferunt.
Teſtis & author erit Cereris qui vela caducæ
Eligit in trabeas ac diadema Deus.
In brevis orbiculi nebulâ latet ætheris ampli
Gloria : Majeſtas hîc veneranda ſedet.
Hîc & opes & honos, & quicquid amabile cælo eſt :
Omne ſub exiguo clauditur orbe bonum.
Nòn alibi miranda magis : ſtupet arsq́ue ſtupetq́ue
Natura, & tantum neutra ſequatur opus.
Artis Apellęæ fuerit præſtantia mole
Corpora contractis poſſe referre notis.
Integra narretur muſcæ latitaſſe ſub alâ
Inſtructa antennis remigibusq́ue ratis.

Pollicis

a *Joan.6. Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo & impleverunt duodecim fragmentorum ex quinque panibus : Saturatis quinque cophinos hominum millibus.*

Pollicis ungue minor deducat imago quadrigam
 Cui dux lora tenens quattuor aptat equos.
Ilias in plures Martis partita libellos
 Dicatur parvâ clauſa fuiſſe nuce.
Talia mille refer compendia; nulla figuras
 In ſimiles operum ſumma redacta fuit.
Nam qui de nihilo terrarum condidit Orbem;
 In prope nil hodie maximus author abit.
Viſa cave metiri oculo: Ratioque Magiſtra
 Supprimat examen quod nimis acre movet.
Tuque, Fides, cupidi levitatem corripe ſenſus:
 Diſcat & imperii frena ſubire tui.
Quæ parvâ dape celat Amor, ne parva putemus:
 Fronte ſub abjecta, maxima ſæpe latent.
Vilia nemo vocet conchylia, muricis ædem,
 Qui legit abſtruſas inde liquoris opes.
Ut ſit arena levis, quiſnam contempſerit illas
 Quáſque ferunt Gangem volvere, quáſque Tagũ?
Ipſe lapillorum Princeps ſi mole notetur,
 Vix adamas quicquam cur adametur habet.
Quid brevius tremulo, ſi lumina conſulis, aſtro?
 Aſtro quid majus, corrige lumen, erit?
Sæpe cinis validæ cuſtos fuit optima flammæ:
 Et patitur cineres Eucharis eſca ſuos.
Illius pars magna latet: qui viribus auxit
 Eliam panis, forma Synaxis erat.
Luce quaterdenâ, Cerealis munere libi,
 Ad juga montis Horeb non breve ſecit iter. a
Dat quoque ſacra Ceres cœli alta tenere; dabitque
 Paſcere conſpecto cor oculóſque Deo,

Huic

a *Libri 3. Reg. c. 19. Elias reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſub cineri cius panis, &c. ambulavit in fortitudine cibi, &c.*

Huic debetur amor; nec honos concedat amori:
Sed latebras dulces, & pia ſigna cole.
Abdita Majeſtas terris vulgetur, & aſtris:
Si qua latet virtus, illa canenda venit.
Ludicra ſic Reges edunt aliquando theatra;
Diſſimulat claros ſic ſua larva Duces.
Cùm ruri fervent ſolitis encænia ludis,
Ac feſtos agitat ruſtica turba dies;
Veſte ſub ignota populo colludere Regem
Finge ſuo, ac viles nobilitare choros.
Fronte revelatâ quo credis honore colendum?
Quis non per titulos ipſius ire velit?
Aſpicis ut lætâ ſcintillent lumina fronte:
Ut qui pectus habet migret in ora calor.
Ingeminant plauſum: feſtivo murmure vicus
Perſonat; & Regis quilibet acta canit.
Regem cuncta ſonant: niſi ſic latuiſſet amicè;
Non illum tantus proſequeretur honos.
Has artes exercet Amor; qui tempora menſus
Signavit certos in ſua feſta dies.
Res agitur noſtris hodie miranda theatris:
Cuncta ſuo complens numine, parvus adeſt.
Quin etiam, tantus cùm ſit, ſociare popello
Se cupit; & noſtræ ſit brevis eſca fami.
Quòve ferat, dare quos ultro debemus, amores,
Magna peregrinis contegit ora notis.
Sed tu, quæ latitat, poſito fac denique velo
Emergat latebris gloria tanta ſuis.
In laudes prorumpe celer; mentíſque ſerenæ
Gaudia feſtivo teſtificare ſono.
Illa tuum, illa meum meritò captabit amorem
Majeſtas adeo comis ubique Dei.

ELEGIA QUARTA.

Quàm prompta ſit, & quàm diffuſa latè CHRISTI hoc in Sacramento munificentia.

CEſſit iö noſtris hodie victoria caſtris!
Accine victori turba; triumphat amor.
De cœlo ſpolia ampla refert: ſub adorea Numen
Æthere poſthabito ſigna venire jubet.
Scilicet illa dabit manifeſti ſigna favoris:
Victori & victo plaude, Thalia, Deo.
Regnat Amor; geminoque facit commercia mundo:
Jam nova cum cœlo fœdera ſancit humus.
Chriſtus enim nobis materno à ſanguine frater,
Totus divino munere noſter erit.
Vera loquar; ſed quæ mirandis rebus ineſſe
Tarda ſolet, veri vix habitura fidem.
Oris ab humani imperio venturus in eſcam,
Numine complebit ſpicea vela ſuo.
Sic amat agnato circumdare brachia collo:
Sic dilecta ſibi corda per ora petet.
Aſtra tenet, ſed alit vigilem ſub pectore flammam;
Seu dare ſe nobis, ſeu dare certus opem.
Impatiens ardore pio eſt; & carpitur igne
Ipſe ſuo, quoties ad Sacra Myſta venit.
Myſta, Sacris abrumpe moras; auſcultat JESUS:
Fac reſonet certæ teſſera vocis; adeſt.

Temporis

Temporis in puncto, vix ultima labitur ore
  Syllaba, labentes excipit ille ſonos.
Tum Cereris ſe nube tegens aptatur in uſus:
  Inde ſuos ignes colligit, inde jacit.
Fit medius menſis; præſtò medicina cibuſque
  Sive febres animi, ſive levare famem.
In vivum ut revocet glacialia corda calorem,
  Non aliquid flammæ Solis ab axe rapit. *a*
Ipſe cor, ipſe ſuos apponit Amantibus ignes:
  Ipſo ſe reparat quod fabricavit opus.
Deliciis loca mille ſuis, & amoribus implet
  Prodigus ille ſui, prodigioſus Amans.
Unicus & multus, magnuſque breviſque recurrit;
  Re magnum, reddit ſumpta figura brevem.
Hoc facit ingenium pietas: ut ſæpe recurrat
  Unicus, in ſpeciem multiplicatus adeſt.
Par uni Phœbo reliquis palmam eripit aſtris
  Seu face, ſeu volucris mobilitate rotæ.
Muſa quid hoc? cœptos inhoneſtas pigra triumphos;
  Aut rude pectus habes, aut lyra muta tua eſt.
Egregiis verò potes ire ſuperba cothurnis
  Quòd tuleris celeres aſtra per alta pedes.
Quid cum ſole meum concurrere dicis Amantem?
  Sol gerit hîc fœdas & ſine luce comas.
In titulos conſurge novos: riualis abeſto:
  Reſciat id Titan; ora pudore teget.
Quem Chriſto conferre voles? agit ille quadrigas
  Altiùs, atque alio tramite flectit equos.
Qui mouet axe diem, ſenſim ſe proripit Orbe:
  Et vaga cùm terras lampas obivit, obit.

Ignis

a *Alluſio fit ad Prometheum, qui ignem à rota Solari clam ſublatum fertur in maſſam homini formando paratam miſiſſe.*

Ignis inexſtinctus perſtat quem nutrit JESUS:
Perſtat, & immotâ lucet ubique face.
Tendit in occaſum cùm vix caput extulit ortu
Cynthius: ille replet Solis utramque domum.
Tardior Heſperijs Sol eſt, maturus Eois:
At Chriſto nullæ ſunt in amore moræ.
Sol, quibus Heſperios ditat, fruſtratur Eoos:
Muneribus fines denegat ille ſuis.
Quid non vota ferunt? qui ſpes excedit avaras,
Dives in ipſius pectore flagrat amor.
Si removent Solis fugitivos nubila vultus;
Clariùs ille micat quâ bene nube latet.
Quemque ſemel miſit, ſub pectore promovet ignem;
Sol ubi ſubducto lumine opacat humum.
Subtrahe te Mundo quando lubet auree Titan;
Sole ſub hoc tenebris nox caret ipſa ſuis.

ELEGIA QUINTA.

Filiarum pietas, quæ Parentes lacte ſuo ſuſtentârunt, Euchariſtico Amori cedit.

Valer. Max. l. 5. c. 4.

MAteriem Muſis, caſtoque datura calori
Detinuit viſus nuper imago meos.
Vivere dixiſſes, Diuęq; Synaxis amores
Expertem ſenſus, ac ſine voce loqui.
Viſibus objectæ referebant ſigna tabellæ
Quò Natura potens pectus Amantis agat.
Exhibet id vivis animata coloribus icon,
Quique gerunt partes femina, virque ſuas.

Nam

Nata ſedet, lactátque Patrem rerum ordine verſo:
  Ore ſenex mammas ducit hiante Pater.
Sortibus ex urna ductis hunc pœna manebat
  Jejunos longâ claudere morte dies.
Non tulit hoc Pietas, ſua ſuggerit arma dolori:
  Illa gerit validâ pro Patre Nata manu.
Quid faciat, pictura docet: nova pugnat Amazon:
  Uberibúsque refert parta trophæa ſuis. *a*
Et genus, & ſexum (dedit illud Græcia) vincit,
  Extera non omnis Barbara terra fuit.
Cognita narramus: ſtetit huic ſua gratia facto:
  Alterius nullo lumine laudis eget.
Umbra tamen ſola eſt: & ad ignem ardentis JESV,
  Iſta licet pietas luceat, umbra manet.
Ille meos ad ſe numeros invitat, & ora;
  Dignior à tota poſteritate coli.
Et te, ROMA piam, cui vox AMOR indita, ſcimus:
  Scilicet à miti diſcis amare lupa. *b*
Idque probas factis: ex te quoque filia ſurgit
  Uberibus Matrem paſcere viſa ſuis.
Jura tori Mater vetito violaverat uſu:
  Sed premet inceſtos mors data pœna focos.
Tabeſcet confecta fame: nam cordis edacem
  Flammam, ſola poteſt exanimare fames.
Furtivis iter omne cibis præcluditur: acri
  Pervigil acceſſus lumine Lictor obit.
Non tamen arcebit, quamvis foret Argus, Amorem:
  Qui captat molles ad ſua vota vias. *c*
Lacrymulas aliquot morituræ in colla Parentis,
  (Quis neget hoc æquus?) fundere Nata rogat.

At

a *Alluſio fit ad hoc quod Amazones bellicoſæ feminæ ſibi ubera præcidiſſent quò meliùs militarent.*

b *Romulus & Remus Vrbis fũdatores paſti sũt ubere lupæ.*

c *Argus dictus à Poëtis habere centum oculos.*

At priùs excutitur veſtis, latebræque ciborum
Nil erat; hoc demas quod bene celat Amor.
Nempe papilla ſinus vitali turgida rore
Complet: & hanc Matri ſuppeditabat opem.
Fraus latet: eſt reditus non invidioſa poteſtas:
Et lacrymæ certi ſunt in amore duces.
Creditur his: annona recens comitatur euntem:
Sic Matri pluſquam fert modò voce Vale.
Hoc furto gaudebat Amor; timidéque beatus
Miſcebat lacrymis gaudia parva ſuis.
Sed vitæ producta dies, mora longior æquo
Invidiæ cauſas, inſidiiſque dedit.
Aſſer erat foribus, cui nondum obducta cicatrix
Arboreæ ſtirpis: pervia rima fuit.
Huc oculos figit Lictor; quàm durus Amori,
Sic Natæ ingenium, ſic pia furta patent.
Paſcitur aſpectu: juvat & ſibi viſa referre:
Purpureos afflat nuntia fama Patres.
Tanguntur novitate rei: placet actus: & ipſis
Judicibus plauſu ſcena probata ſuo eſt.
Danda Parens Natæ; fert calculus omnibus idem
Candidus ac verè lacteus ille fuit. *a*
Traditur id Faſtis: & quas vrgebat egeſtas
Annuus in victum cenſus utrique venit.
Supplicii ſedes migrat pietatis in ædem:
Vincula ſacrantur relligione loci.
Aſpice naturæ quæ vis, quæ flamma, quis ardor,
Quàm ſit in Authores officioſa ſuos!
At ſibi ne primam mereatur laude coronam,
Obſtitit alatis Gratia vecta rotis.

Viderat

a *Mos erat antiquis niveis atríſque lapillis*
His damnare reos, illis abſolvere culpâ.

Viderat hæc mentes cæleſti ſtirpe creatas
Carpere terrenos non ſine fæce cibos.
Viderat in fumos animi fugitiva volare
Gaudia; de fluxis gaudia nata bonis.
Ingemuit; ſupplexque manus ad ſidera tollens
Perſtitit Unigenam ſollicitare Deum.
Unigenam tetigere preces: accivit Amorem;
Ac ſua dimovit talibus ora ſonis.
Me juvat illabi terris, mihi ſubdere corda:
Nolo levis pharetræ ſpicula, nolo facem.
Victor ero meliùs: pugnabo mollibus armis:
In quæ vertar ego, mittere tela paro.
Hæc ait; & tenero dum baſia libat Amori,
Affigi mammas mox ſibi ſentit Amor.
Sentit utrimque ſacris hinc inde madere papillas
Imbribus: ô quantum nectaris intus habent!
Miratur pugnæque genus, novaque ætheris arma;
Se quoque ſic forti bella movere manu.
Seque peti gaudet populis venientibus ultro:
Nil opus hîc telis, nil opus eſſe face.
Sponte ſibi admotis ruere in ſe quemque labellis:
Et tacitè victis vulnera blanda dari.
Gloria, Chriſte, tua eſt; noſti quâ parte petamur:
Illecebris cedunt omnia corda tuis.
Arte novâ vincis; dum duri ad pectoris arcem
Explorat Pietas ingenioſa viam.
Nate Deo, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea; quæ ſacras pendeat ante fores.
Ubere nos glebæ, nos EUCHARIS ubere paſcis:
Totus & in noſtras penè liqueſcis opes.
Lacte levi ſervet ſi fida puerpera Matrem;
In gregis ipſe tui fercula totus abis.

O Deus! ô animi nutrix! quæ præmia laudum,
  Quid poſſit meritis Muſa referre tuis?
Illa Quirinales pietas ſibi vindicat arces:
  Quot ſunt mortales tot ſibi templa petit.
Cui tamen hæc cura eſt memori mandare tabellæ?
  An pietas finem contigit iſta ſuum?
Hei mihi quàm paucis innotuit illa libellis
  Gratia; milleno codice digna legi!

ELEGIA SEXTA.

CHRISTVS per Euchariſtiæ Sacramentum, ignem venit mittere.

PHœbeo Puer Idalius correptus ab ęſtu
  Ex humeris pharetræ penſile ponit onus. *a*
Tum ſe veſte levi ac tunicę velamine nudat:
  Parvaque flumineis corpora mergit aquis.
Quęq; Deo vis eſt; teneros ubi tinxerat artus,
  Incaluit ſacro frigidus igne latex.
Has vires traxiſſe ferunt à Numine lympham,
  Pugnet ut in frigus degener ipſa ſuum.
Et qui fortè ſitim fluvio ſedabat in illo
  Ante rudis, ſubitò doctus amoris erat.

Nec

a *Puer Idalius Cupido Veneris filius ab Idalio monte, & nemore Veneri ſacro.*

Nec ſecus aurati quàm læſus cuſpide teli,
Vulneris accepti pectore ſigna dabat.
Fabula ſit: tamen illa ſacri vim ſignat Amoris,
Quamque cito in flammas, quos bene tangit eant.
Et ficti calor iſte Dei ſub imagine prodit
Pectoris ardores inclyte Chriſte tui.
Ille Deo natus cæleſtibus ignibus ardet;
Quemve modum ardori ponat, ab arte petit.
Non oſtro, non luce nitet, non fulgurat auro:
Sed Cereris tunica ſub leviore latet.
Ipſaque Majeſtas cultus exuta ſuperbos
Non fugit humanis comis adeſſe choris.
Uſque adeo patiens noſtros venatur amores;
Uſque adeo noſtri Chriſtus amore calet.
Ætna cor ipſius eſt; ſudant his tela caminis,
Ad ſua quæ divus prælia cudit Amor.
Immodicos Deus ille rogans medicamen in æſtus,
Nos petit: invitat frigida cordis hiems.
Ut ſe diffundat nimius quo exæſtuat ardor,
Ipſius in menſas pars bona cordis abit.
Eſca brevis ſubit ora: viam ſibi deligit iſtam
Quò tacitè inſinuet corda per ima facem.
Languet amans vires propriis tamen ignibus addit
In facilem quoties ſe ſinit ire cibum.
Quodque nefas; noſtro ludibria ſæpe tepori
Authoris repetunt munera tanta manum.
Et quæ debuerat cupidis hærere medullis,
Cogitur ad ſacras flamma redire fibras.
Hinc meritò, bone Chriſte, cales; nova ſemper amori
Materies donis ureris ipſe tuis.
Adamidę date ſubſidium! date pectora! Amantis
Qui cor depaſcit, mitior ignis erit.

Eſt metus ignis amor; quem res accendit amata;
  Quem ſemel accenſum ſiſtere ſola poteſt.
Non ceſſat patula gemitum dare turtur ab ulmo
  Dum ſibi quæſitæ conſocietur avi.
Sic ovis adjunctâ balatibus abſtinet agnâ:
  Sic equa cum pullo ceſſat, ut ante queri.
Donec ad optatam ſe denique verterit arcton,
  Quam tetigit magnes, non requieſcet acus.
Sic ſibi corde dato ardorem compeſcet JESUS:
  Corque, locus flammæ, quo requieſcat erit.

ELEGIA SEPTIMA.

Mirandus Artemiſiæ Reginæ in Mauſolum Regem amor, Amori Euchariſtico minor eſt.

SIs titulis Diana licet, ſis Artemis aſtrũ,
  EUCHARIS ad flammam, fax tua luce caret. *a*
Illa querebatur raptũ ſibi morte maritũ:
  Et totum docuit non potuiſſe rapi.
Et quamvis fera mors data ſceptra ligonibus æquet,
  Femineus victâ morte triumphat amor.
Durat in exuviis, quas ignis ſummus aduſſit;
  Cepit odorato quas brevis urna ſinu.
Has Regina legit: gemmis includit & auro:
  Aptus erat fidis ignibus iſte cinis.

Nam

a *Artemis græcè ſignificat Dianam & Lunam.*

Nam veluti vivat tacitâ Rex ipſe favillâ,
 Sæpe bibit lacrymas, oraque preſſa tulit.
Pone Thalia leves ſoccos; aſſume cothurnum;
 Altaque Pieriis exſpatiare jugis.
Te res magna vocat. Quid non molitur, & audet
 Improbus, & quid non pectora cogit amor?
Illa viro ſpirans meditatur femina buſtum:
 Et non auditæ fabricat artis opus.
Invidit tumulis ſibi quos depoſcit honores,
 Se Mauſolæum conjugis ipſa facit.
Si quid enim potus, ſi quid tranſmiſerit eſcæ,
 His avido mixtus ſumitur ore cinis.
Quodque ſcidit Lacheſis, quâ fas eſt arte, reſarcit:
 Cùm cineres vitâ vult animare ſuâ. *a*
Quæ duo corda fides nexu ſociaverat uno
 De gemino conflat corpore corpus idem.
Illa toro, ac tædæ NON ULTRA inſcribat; JESU
 ULTERIUS rapiunt candida vela ratem. *b*
Ulteriùs perrexit Amor: quibus ille trophæum
 Fixit, ad hos fines nemo ſecundus eat.
EUCHARIS eſt Fidei columen, Pharos unica mundi,
 Mille ſolo ſpargens lumina, mille ſalo. *c*
EUCHARIS eſt flammis, & amoribus ultima meta:
 Hic laſcive arcus, telaque frange Puer.

a *Tres ſunt quas Parcas vocant, Deæ fatalia ventes ſtamina; Clotho, Lacheſis, Atropos.*

b *Alluſio fit ad Herculis columnas, quas ad ultimos maris fines navigans fixit, & iis appoſuit* NON ULTRA, *ſed Carolus Quintus plus potuit, & adjecit* PLUS ULTRA.

c *Pharos in medio mari turris, lumen nautis de nocte proferens.*

Et tu, Fama, loqui muliebres pectoris ignes
Parce: quid in ſterili laude diſerta manes?
Nam revocare gradum ſtygiis Mauſolus ab undis
Neſciit; aut iſtâ flecte ſe fata viâ. *a*
Ipſe ſuos preſſit cineres bis, adactus in urnam:
Et ſenſu pietas Conjugis illa caret.
Iſte perennet Amans, qui noſtros induit artus,
Noſque cupit ſenſus mente referre ſuos.
Iſte perennet Amans, qui vitâ, & ſanguine fuſo
Nos animat; teneras ceu Pelicanus aves.
Si datus eſt letho; noſtri produxit amorem:
Ipſo nec potuit flamma cadente mori.
At cineres emenſa ſuos, & vivida reſtat;
Et volat in noſtros ambitioſa ſinus.
Si ſua funeſto retudit ſub marmore tela;
Mortis ab eclipſi Sol magis ille micat.
Hinc Orbi redivivus adeſt, & nube ſub alba
Suſtinet obtutus luce favente meos.
Sit Libitina procul: tuus EUCHARI, vivet Alumnus:
Vivet; & à ſtygiis liber abibit aquis. *b*
Ille nequit rigidæ mortis ſuccumbere falci
Cui ſacra jucundos protrahit eſca dies.
Carminis eſto modus: litem dirimamus Amantum
Victrici, veniat palma ferenda manu.
Clara licet Conjux Mauſoli pulvere currat;
In cineres ea laus pulvere nata redit.
Si pendatur amor; ceu nix diſſolvitur æſtu,
Ceu perit admotis Attica cera focis;
Sic flammas, Regina, tuas hebetavit JESUS:
Sol erit hic Orbi, ſis nova Luna licet.

ELEGIA

a *Styx fluvius infernalis pro inferno capitur:*
b *Libitina Dea funerum, apud Romanos aliquando pro morte ipſa ponitur.*

ELEGIA OCTAVA.

Ad hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem.* Luca 22.

IUſta ſibi ſolvi cupiens à funere Chriſtus
Ad lætas revocat triſtià ſacra dapes.
Hîc epulum nobis pluſquàm Saliare paravit;
Pluſquàm delicias Sardanapale tuas.
Nec ſunt viſa Suſan ſimili convivia luxu;
In quibus ipſa ſuo cum duce turba ſedet. *a*
Ille potens oſtentet opes; effundat in omnes
Munificus gazæ regia dona ſuæ.
Si tamen illa velis epulo conferre ſacrato;
Tot bona Fortunæ futile munus erunt.
Adde quod oblectet guſtum, quod mulceat aures;
Lumina quod paſcat, quod tuus optat amor.
Ipſamet illecebra ſenſum alliciente voluptas
Adſit, & ex omni gaudia parte fluant.
Præ dape nectarea tibi quam condivit JESUS,
Hic ſapor, & tener hic ſenſus, amator erit.
Summa boni, ſe legat Amans, ſe donat in eſcam;
Et dator, & ſocius muneris ipſe ſui.

Ipſa

a *Rex Aſſuerus ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ ſuæ, fecit convivium cunctis Principibus &c.* 180. *diebus. Toti verò populo Suſan diebus* 7. *Eſther.* 10.

Ipſa Deus bonitas, à quo bona cætera manant,
Fercula mortali ſe pretioſa facit.
Credibili major pietas hæc poſſet haberi,
Nî magis exigerent acta ſtupenda fidem.
Nonne ſuæ vitæ pretium, latéque profuſi
Sanguinis humanum credidit eſſe genus?
Non ſtetit hîc, vitalem à ſe ducamus ut auram,
Liquitur in noſtras victus amore dapes.
Vivere apud memores, quibus hoſtia cæditur, ambit:
Viva cupit tantæ reſtet imago necis.
Nempe ſub hoc epulo mala tot, mortemque tabellâ
Signabat memori, quam ſubiturus erat.
Turba ſequax, inquit, noſtri ſis æmula facti;
Luſtratoque refer pane, meroque ducem.
Sic ubi fata ferunt, peregrinum ſi quis in Orbem
Finibus è patriis, non rediturus, abit.
Convenit ante ſuos ſupremâ voce ſodales;
Et ſolet extremo fundere verba ſono.
Ut natale ſolum, dulceſque relinquere terras
Sit grave, plus ipſi res tamen una docet.
Nam cùm de charis agitur; teſtatur ab illis
Se velut avelli, dimidiumque rapi.
Luget & ipſe ſuos, ſimul & ſolatur amores:
Ora frequens oculos ad ſibi nota refert.
Sic abit, ut præſens aliqua ratione ſuperſit:
Solvit enim invitus, quos bene junxit amor.
Neu totum tenero ſe ſuffuretur amico;
Parte aliqua remanet, quâ licet, ille ſui.
Mnemoſynon, certumque ſui dat pignus amoris;
Quod comes abſentis ſervet, ametque vice.
Eſt & Apellæa qui vultus exprimat arte;
Ut ſpecies viſis adſit amata notis. *a*

Aut

a *Apelles erat inſignis Pictor, uti & Zeuxis.*

Aut hoc aut ſimili diſcedens donat amicum
Munere; quò memori mente redire queat.
Præſtat idem cùm ſe ſacer hinc ſubducit Amator;
Et cæli longum carpere debet iter.
Noluit hic dono vacuos dimittere cœtus:
Noluit à fido totus abeſſe grege.
At nil Phidiacâ, nil Zeuxidis arte paratur,
Viva quod abſentis ſuppleat ora ducis. a
Divinæ virtutis opus, quod nemo ſequatur,
Edidit; & cui par non niſi Numen erat.
Divus Amor, quàm non ſibi ſit reſtricta poteſtas,
Quovè ſit ingenio, nunc documenta dedit.
In ſpecies jubet ire novas, quem verſat, Amantem
Et facit ut terras, & ſimul aſtra colat.
Ille ſuper cœlos, cœliqúe volubilis axes
In ſibi dilecta vivere pergit húmo.
Non alius, non dimidius, non lumine caſſus;
Sed qui Matre ſatus Virgine, Patre Deo.
Ille idem quem terra tulit, ſenſitqúe cadentem,
Quique tenet patrium, vectus ad aſtra, latus.
Non hujus vice vel ſignum, vel imago ſuperſtes;
Nos quamvis ſignum, nos & imago juvet.
Seqúe frui quò poſſit Amans, ſub amabilis eſcæ
Abditus illecebris, edocet ipſe modum.
Se dedit ille ſuis modici ſub tegmine libi:
Nec fuit immenſo res data dante minor.
Ecquonam hic ardore putas, quo pectoris æſtu
Diduxit totas in ſua dona fibras?
Non ita Mater amans avidè dabit ubera nato,
Vagitu imploras qui Genitricis opem:
Non ita ſit medicus ſuccurrere præſto Sodali,
Sponſa viro, Patri filia, Paſtor ovi.

Quis

a *Phidias ſculptor egregius ſive ſtatuarius.*

Quis mihi det ſacros animi luſtrare receſſus!
  Quis det ut iſtius cordis in ima ferar!
Quàm teneros illîc ſenſus in Amante notarem!
  Hoc mea jam glacies igne ſoluta foret.
Nam Conviva meus non denegat eſſe, nec hoſpes,
  Nec cibus: hoc ſibimet nominis addit onus. a

ELEGIA NONA.

CHRISTUS eò majori dignus eſt honore excipi, quò per Sacramentum minori venit apparatu.

AD latebras dulces, ad amica umbracula JESU
  Tendimus: huc nobis lampada præfer Amor.
Majeſtas inhonora latet? dedit iſtud Amicis,
  Ora tegens nimio plena decore Deus.
Ille tamen ſuppreſſus honor ſcintillat in umbra:
  A tenebris creſcit gloria ſæpe ſuis.
Se patiens primo cùm ſurgit mane videri
  Sol magis excelſa quàm ſtatione placet.
Quæ Roſa vulgares inter nitet unica flores
  Nos rapit; & ſociis juncta minoris erit.
Pulchrior es viſus Raphaël comitate Tobiam
  Fronte ſub humana, quàm videare tua.
Sol quoque noſter amor Cereris magis ardet in umbra,
  Vel ſibi detracto dignus honore coli.
Quis tua non celebrat Juli præconia Cæſar?
  Dat tibi non parvum gloria ſpreta decus.

Is

a *Qui manducat me, &c. Joan. 6.*

Is ſibi ſubjectas adiens inglorius urbes
Sæpè ſub occaſum ſolis inibat iter.
Tam parvi eſt fugitivus honos: loca comis in illa
Malebat tacita ponere nocte pedem.
Mens erat impenſis occurrere: parcere plebi
Quæ nimis in faciles prodigit æra jocos!
Spem tamen ac latebras ut amico falleret aſtu
Tempora plebeius præveniebat amor,
Hoc magis aggeminans feſtivi inſignia plauſus
Tunc exſpectatæ quò minus artis erant.
Mille coruſcabant ſparſis funalia flammis:
Mille dabant ignes oblita vaſa pice.
Mille lucernarum tectis radiantibus ardor
Vincere certabat vel ſimulare diem.
Exoritur nova nocte dies: fax æmula Soli
Omnia luminibus complet in urbe loca.
Per tenebras reſplendet amor populique, ducisque,
Abſtinet hic ſumptu, cultibus ille vacat;
Imperii dux fræna brevis moderatus imago
Parva Dei latè regna tenentis erit.
Ætheris hic Princeps humano tactus amore
Et decus, & trabeas, & ſibi ſceptra negat.
Orbiculo modicæ Cereris ſe claudere geſtit
Terrarum immenſo qui nequit Orbe capi.
Fulminibus poſitis, ac majeſtate remiſsâ
Tendit in indignæ vile cubile caſæ.
Ne quid ad ingreſſus trepides, aptatur in eſcam
Parvulus eſt; illi membra coarctat Amor.
Non piget hunc Solem decreſcere, ut orbe minori
In noſtros uſus deliciumque micet.
Sub Cereris nebula radiorum tela retundit
Illa ſed in pharetram tela recondit Amor.

Hoſpes adeſt parvo contentus; amatque modeſtè
  In tuguri recipi parvula tecta tui.
Eſt tamen hic aulis, eſt omni dignus honore:
  Excipiant dignis quem loca nulla modis.
Cæſareum pluſquam numen venereris in ipſo:
  Ah! bonitas illum tanta jacere vetat.
Eſt bene quem laudum titulis in ſceptra reponas:
  Inclyta quem celebret Gloria, tollat Honos.
Si quâ luce tuas ſecedat amanter in ædes;
  Sentiat adventus non latuiſſe ſuos.
Quantus es, effundas te totum; & mentis ab arce
  Omnis ut inſtructis prodeat ordo choris,
Rex animus, tum ſceptra tenens Regina voluntas:
  Quique voluntati grex famularis erit.
Huc ſubeat, ſtipetque ducem pulchro agmine Virtus:
  Huc ſenſus omnes impetus acer agat.
Affectus inter reliquos Amor emicet unus:
  Seu face, ſeu telo non habet ille parem.
More ſuo veniat flammis inſtructus & arcu;
  Et ſupero dignum Principe ſternat iter.
Igniculi tu ſemen Amor cognoſcis & uſum:
  Sparge tuas hilaris per loca ſparge faces.
Præcipuè quâ parte Deus ſolet ille ſedere
  Fige pedem: igniculis pars micet illa tuis.
Tum rege vitales motus, & vincta libido
  Te duce regales corruat ante pedes.
Pectoribus nebulas, pigroſque exclude veternos,
  Quique venit, ſtudii fulgeat igne tui.

ELEGIA DECIMA.

Joſeph à Pharaone Salvator mundi dictus, Sacræ Euchariſtiæ figura quædam eſt. Geneſ. c. 41.

QUi fortes humeros, qui cælo colla labãti
Subdidit, eſt multo carmine notus Atlas.
Et ſua promeruit mãdari nomina Faſtis
Nomina ſervato quiſquis ab orbe tu-
Mille recenſendis ipſius laudibus inflet (lit.
Fama tubas; totidem pulſet Apollo lyras.
Obtigit ille favor Vatum de millibus uni,
Qui Pharias olim providus auxit opes. *a*
Vive ſalus populi *Joſeph*! ſic juſſa tulerunt
Regia: vivat, io! Præco, triumphe cane.
Nominis ille ſui menſuram implevit, & omen:
Ipſe caput terris, cùm ſeges alta, levat. *b*
Sed poſthàc aliò veſtros transferte calores
Niligenæ: rebus cedat imago ſuis. *c*
Nam melius quæ fama colat, quæ cantet Apollo
Quæ tuba, quæve chelys perſonet, acta damus.
Quem celebraſtis, adeſt: veſtrum nos reſpicit ævum:
Et clarum à noſtra non niſi laude fuit.

Ille

a *Ægypii dicti Phari.*
b *Joſeph hebraïcè ſignificat augmentum, incrementum.*
Niligenæ Ægyptii à Nilo Ægypti Fluvio.

Ille per ora volet Mundi Servator JESUS:
  Illi parta ſalus nomina vera dedit. *a*
Ille per ora volet, quem non piget ire per ora
  Poſſit ut in noſtrò figere corde pedem.
Condiderat verbo, letho reparàverat orbem:
  Jam vivo proprium corpore fulcit opus.
Præco redi; rurſumque vias vicoſque pererra:
  Hunc Servatorem compita cuncta ſonent.
Huic Domino vitam qui ſe debere negabit,
  Eſt hebes, & vitæ neſcius ipſe ſuæ.
Si cavet Iſacidæ natus mala providus augur;
  Hic profert hilares & ſine nube dies. *b*
Subvenit ille fami; Cererem ſacrat alter opimam
  Quæque vovet nullus munera fundit ager.
Frumentum gens priſca ferat; menſam inſtruit alter
  Ambroſiâ, & nunquam deficiente cibo.
Quod ſi cœpta ſacri peragam præconia doni;
  Jam Rachele ſatus nomen inane geret.
Quis flammæ glaciem, morulam quis conferat ævo?
  Quis cœlo cænum, terrigenamque Deo?
Quid tellus niſi vile parit? quod ſurgit in arvis
  Fit cinis; & flammis ultima meſſis erit.
Sed procul à rebus caput exerit ille caducis
  Qui tibi convictor, Chriſte ſedere ſolet.
Cætera vaſtantis legem non ſentiet ævi:
  Divinæ Cibus hic ſemina mentis habet.
Quàm venit opportuna pio indulgentia Cœlo!
  Cùm torpet ſterili terra maligna ſitu.

Et

a *JESUS hebraïcè Salvator.*
b *Iſacides eſt Jacob filius Iſaac, iſtius natus eſt Joſeph Rachele matre.*

Et vitio, & turpi macie pars optima noſtri
Conciderat; morbis attenuata ſuis.
Longa fatigabant ægras jejunia mentes;
Quod nec opem cœlum, nec ſacra terra daret.
At modò convertit cœleſtis Aquarius vrnam:
Inque fatiſcentem decidit imber humum.
Imbuit ille rudes cœli pinguedine glebas
Mollis ut in rigido ſurgat ariſta ſolo.
Ipſemet à patrijs pluviæ vice labitur aſtris
Chriſtus & humanum tingere pectus amat.
Quin etiam (tantos quis amoris crederet æſtus)
Eſca venit noſtræ prodigioſa fami.
O pietas! ô eximio par munus Amanti!
O amor! ô ſuperæ mentis & artis opus!
Huc properet longis etiam gens diſſita terris
Quò frugum & Cereris copia magna vocat.
Parce queri pauper: ſeges hæc non ære nec auro
Debet emi placidæ da loca ſola moræ.
Horrea non implet: ſed ſacram commoda meſſem
Quæ capiat ſedes area cordis erit.
Tu verò Peluſiacis dominator in oris,
Quem canimus, celsâ ſuſpice mente ducem.
Ille ferat primas. Joſephum ad ſidera tollis:
Aſſurgit noſtro non minùs indè duci.
Huic auro, gemmiſque gravis *Stola Byſſina* detur
Qui ſolidas in nos fundit amator opes. *a*
Annulus articulos adamante coruſcus & auro
Stringat; & hic ſidi ſigna Sodalis habet.
Pendulus huic ſerpat per colla nitentia *Torques*
Qui nimio in noſtros ſerpit amore ſinus.

Emineat

a *Fit alluſio ad ea quæ circa Joſeph acta ſunt. Gen.* 41.

Emineat terris *Curru* ſublimis eburno
  Qui terris animos tollit, in aſtra rapit.
Laudibus inferior foret unicus; adde tot illi
  Præcones, meritis quot replet ora ſuis.

ELEGIA UNDECIMA.

CHRISTVS in Euchariſtia munificentiſsimus, ab omnibus Rex haberi meretur.

LEge coërceri populos, opus eſſe regentis
  Imperio ratio non modò recta docet.
At pecudes inter, quæ nullâ lege tenētur
  Rex, cui turba ſubeſt, fertur habere locum.
Me fugit agnoſcatne ducem formica, colatque,
  Sed quis melliferi non probet acta gregis,
Ordinibus ſtant ſigna ſuis dum cogitur agmen:
  Obſervat nutus, oraque cara ducis.
Hic ubi juſſa dedit; per olentia paſcua curſant,
  Per thyma, per violas, per meliſton eunt.
Ad ducis aſpectum, velut applaudente ſuſurro,
  Exercebit apes, Sole calente labor.
Nec mora, nec requies; urget præſentia Regis
  Nectareum cellis dum fabricantur opus
Quis reliquas narret pecudes rationis inanes
  A quibus in Regem cultus honorque venit.

In litem iverunt volucres quæ ſceptra teneret:
Et Jovis armigeram turba popoſcit auem. *a*
Nec ſine Rege grues altiſſima nubila ſindunt:
Nec, dum cerve ſecas flumina ductor abeſt.
Ecquid & in populis? ſi florida regna ſtetêre,
Illis admonuit regia cura manum,
Sub duce magnanimo generoſior ibit in hoſtem
Miles, & erectâ prælia fronte geret.
Tolle ducem jam vis, jam bello vivida virtus,
Corruet; & Martis pignora, Mortis erunt.
In Scyllam incurret Palinuro nuda Magiſtro
Si qua per undantes cymba vagetur aquas.
At vigil, & prudens Rector loca tuta ſequetur,
Et vehet irato proſpera vela mari.
Denique, ſi cœtus viguit, ſi floruit ordo:
Sub ducibus crevit flos hic & ille vigor
Quin igitur me ſubdo duci? ſpectabilis ultrò
Chriſte mihi votis mille petende venis.
Chriſte venis, in quem ſuſpiravere Parentes,
Qui lux una Patrum, gloria Gentis eras.
Nec cupidos veſanus amor, ſpes irrita traxit:
Vixit enim felix morte Nepotis avus.
Sanguinis ille ſui pretio quæ clauſa manebat!
Fecit Avis ſuperæ culmen ad arcis iter.
Morte ſuâ Codrus tutas ſervavit Athenas
Cùm latet in vili Regia flamma ſago. *b*

a *Aquila, quam fingunt Poëtæ aſſervare Jovis fulmen.*
b *Ferebat Oraculum Peloponeſienſes fore victores, ſi Athenienſium Regem, in quos pugnabant, non occiderent: Hoc audito, Codrus Athenienſium Rex, vili ſe habitu diſſimulans, eos aggreſſus, occiditur, ſuosq; victores & Oraculo fidem fecit.*

At caſu, pie Chriſte, tuo totum erigis Orbem ;
  Quâve lates, populum protegis arte tuum.
Invehor in ſylvas, & inerti ligna virore,
  Danda focis potius quàm celebranda lyris.
Nam genus arboreum turpi ſua commoda quæſtu
  Communi referunt præpoſuiſſe lucro. *a*
Rex erat in votis ; virides petiêre Sorores :
  Omnis ad hoc arbos colla retraxit onus.
Frondea plebs nemorum ſibi depoſcebat olivam !
  Prima dabat ramis jura, Minerva, tuis.
Fugit oliva decus pinguedine dives avarâ :
  Nam timuit ſocias cærula bacca manus.
Sed ſacer hic ductor, ſoboles æquæva Parenti,
  Non velut è ficto Pallas abacta Deo : *b*
Explicat & ramos & amicæ Pacis olivam ;
  Et ſucci expandit lata fluenta ſui.
Et caput elyſiis licet efferat ipſe viretis,
  Ferre tamen plantæ ſigna minoris amat.
Hîc pluſquam manibus fas eſt contingere ramos,
  Et quas ſub tenui cortice celat opes.
Balſama diffundens ſeptenum exundat in amnem,
  Ex quo nectarei copia roris abit.
Ubere præ reliquis rivo fluit EUCHARIS; æger
  Illius à medico rore levamen habet.
Grex ubi Palladiæ tulit arboris iſte repulſam;
  Inque novos cœtus, & nova vota venit.
In ficum transfert florens nova vota Senatus :
  Nuntius it ; viridis publicat acta chori.

Abnuit

a *Hiſtoria ſive Allegoria habetur libri Judicum* 9.

b *Fingunt Poëtæ Palladem, quæ Dea ſapientiæ eſt, excuſſam è cerebro Jovis.*

Abnuit illa: foríſne petam quod in ædibus extat
Cùm mihi ſaccareo poma liquore fluant.
An regni tantâ maleſana cupidine tangar,
Ut mea ſic reddi publica lucra velim?
Non ita dux noſter: nos illi ſola voluptas!
Imò ſuum reputat commoda noſtra lucrum.
Nata ſuo *nova Poma* ſolo, legauit Amicis:
Poma ſed Idaliâ non capienda manu. *a*
Ficus amans! quales groſſos eduxit in auras!
Hîc latebras tutò nunc reperiret Adam.
Tertia quæſita eſt, quæſitaque tertia Vitis
Nil mihi cum curis regna gerentis, ait,
Sic genium fraudem? videarque oblita liquoris
Qui juvet æternos exhilaretque Deos?
Atque ita quiſque frutex ſe reſpicit: altera neſcit
Gaudia, cura ſuæ cui calet una rei.
Quem te Chriſte, canam? tu *Vitis* amica Colonis
Omnibus, hortaris palmes ut eſſe velim. *b*
Tu pluis æthereos in dulcia fercula ſuccos;
Unde virent cœlo *Lilia*, & unde *Roſæ.*
Lesbia vina gemens ſudaſti ſub cruce dura;
Quæ tuus è quino fonte propinat amor.
EUCHARIS eſt cyathus: paniſque, merique ſub umbra
In Commenſales influis ipſe tuos.
Tu tibi ſolus habe titulos Regiſque, Patriſque,
Dignus honore Deus, dignus amore Pater.

a *Idalia manu hoc eſt Veneris ab Idalio monte & nemore illi ſacro. Alluſio fit ad malum aureum, quod à Jove miſſum, Paris conſtitutus Judex Veneri adjudicavit: in eo ſcriptum erat* DETUR PULCHRIORI. *Reliquit ergo Palladem & Junonem, eaſque Veneri poſtpoſuit.*

b *De ſe ipſo dicit Chriſtus: Ego ſum vitis, vos palmites Joann. 15,*

ELEGIA DUO-DECIMA.

Quàm ſit CHRISTO jucundum ; ſe benè paratis in cibum dare.

EST in amicitiâ, grata & ſincera voluptas:
Scit ſua, ſcit ſolus gaudia quiſquis amat.
Delicias quas corde capit non exprimat ore:
Ad teneròs ſenſus vox rudis omnis erit.
Quod magis admiror, petit ipſe Sodalibus addi,
Captat & in nobis, gaudia parva Deus.
Ille Deus cui delicium ſe debet, & à quo
Proſiliens omnis manat origo boni.
Nos tamen accenſis animis ſibi poſcit amicos ;
Et facilis noſtro ſe ſinit igne capi.
O quoties ſapidas nos urget ad EUCHARIS eſcas!
Ac teſtudineos increpat uſque pedes.
Quis canat ardorem quo quærit ab hoſpite ſumi,
Cùm cibus in menſas officioſus abit?
Non ita piſcis aquis, nec oves ita gramine gaudent
Geſtit ut in noſtro ludere poſſe ſinu.
Læta Parens minùs eſt nato poſt bella recepto
Aut ſalvo Conjux Conjuge, Fratre Soror.
At pia cura toros epulis ſublimibus aptet:
Sint nitidæ lances, ſint ſine ſorde manus.

Cordis

Cordis amat ſolium, nequid pro ſede labores;
Mentoreę tanti non foret artis ebur.
Fac tamen hinc abſit labes: Deus ille meretur
Quæ vincant ſcythicam pectora pura nivem.
Nî maculâ locus illę vacet, puro obſtat Amori:
Caſta placent Superis, & grave vile cor eſt.
Saxo fidem facias Fidei licet hoſtis avitæ.
Proderis oſtentis, Dux Wedekinde tuis. *a*
Annua lux aderat, domitæ quâ Ditis & Orci
A nece fert ſurgens parta trophæa Deus.
Chriſtiadûm lux feſta choris; cùm munere lætas
In ſua verſus alit paſcua *Paſtor* oves
Carolus ut meritis, ita nomine *Magnus*, agebat
Ductor Belligeros ad ſua Sacra viros.
Cùm pariter *Saxo* rerum novitate morandus
Conſequitur tacitâ Martia caſtra viâ.
Diſſimulat ſe veſte Ducem: plebeïus haberi
Gaudet, & ignotis cenſor adeſſe Sacris.
Jamq́ue litabatur; jam myſticus ibat in orbem
Dona tegens, viſis nobiliora, cibus.
Hæc ubi proſpectat cupido myſteria viſu,
Hæret, & attonitum res inopina facit.
Ecce tibi dapis è medio roſa totus, eburq́ue
Totus, formoſo prominet ore puer.
Non uno ſibi par vultu eſt: arriſerit iſtis;
Hos tamen averſa fronte dolenter adit.
Nonnullis aſſultat ovans; facieq́ue ſerenâ
Lucidus in menſas, geſtit & ora dari.

a *Dux Saxoniæ tum hæreticus. Albertus Crantzius in Metropoli lib.* 1. *c.* 9. *Wernerus Rolevingius de laudibus Weſtphaliæ cap.*7.

Inde reluctanti niſu ſubit ora coactus ;
   Ceu velit immiſſum retro referre pedem.
Dux, Fidei fit tyro ; ſacer cui Puſio pectus
   Tangit, & auguſtæ Relligionis honos.
Quid ſibi viſa volunt ? Deus unâ mente perennat :
   Altera cur veluti mobilis ora gerit ?
Ut nunc feſtivo veniat ſub fercula vultu ;
   Nunc ut in hoſtiles horreat ire manus.
Abſit ut alternare vires conſtantia poſſit ;
   At nobis eſt cor labile, fluxa fides.
Vita facit diſpar ſuperis diſcrimen in eſcis ;]
   Hinc juvat innocuos, arguit inde reos.
Nempe ſinus animiq́ue fibras introſpicit omnes
   Qui gregis eſca ſui non fugit eſſe Deus.
Ille Deus noſtri ſitiens magis uritur æſtu
   Quam gelidi cervus dum petit amnis aquas.
Utq́ue fame preſſus noſtro ſe paſcit amore.
   Eſſe Deo tanti ruſtica turba poteſt.
Qui negat illa ſacræ ſolatia parvula flammæ,
   Invidiam morbo detrahit ille ſuo.

ELEGIA DECIMA-TERTIA.

Lex vetus timoris fuit, Incarnatio lex amoris, quam Euchariſtia confirmat.

ISacidum ductor ſubeat mea carmina *Moſes*;
EUCHARIS ad flammas frons radioſa facit. *a*
Hic dedit ex ligno, quod vis non cõficit ævi
Arcę materiem carminibusq́; meis. *b*
Dædaleâ prudens *Arcam* jubet arte poliri:
Et finis pretium nobilis artis habet.
Signa ſinu condet digito cælata Tonantis;
Per quadragenos ſigna petita dies.
Pars nitet interior; cultu non diſpare rebus;
Ne ſit in indigno pagina ſacra loco.
Ducitur in longum rutilanti fuſilis auro
Lamina: Scriptoris lux decet illa manum.
Hîc ſacræ ſortes, cœli reſponſa dabantur:
Fœdus & Iſacidas, Numen & inter erat.
Auſpiciis Divis meliori tempora fato
Altera nunc ſecum *Fœderis Arca* tulit.

Concedant

a *Moyſes redux de monte Sinaï ubi per dies* 40. *fuerat, & egerat cum Deo, fronte erat lucidâ.*

b *Ex ligno Setim incorruptibili confici curavit Arcam Fœderis. Ibi duæ tabulæ lapideæ in quibus ſcriptus Decalogus aſſervabantur.*

Concedant antiqua novis: rudis ante, ſuoque
  Par ligno, noſtræ ſola figura fuit.
Nobiſcum nova pacta Deus jam firmat; & *Arca*
  Aſtruit illorum nobiliore fidem.
Eſt faber hujus Amor: Deus ipſe repertor, in illa
  Multa *Brevi Verbo* qui bona dicit, adeſt.
Non is qui rurſum rigidis incidat ut olim
  Juſſa petris; finem non habitura ſuum.
Cùm ſonitum tuba, cùm flammas daret igneus æther,
  Et quateret gelido territa corda metu.
Ille ſemel pavidum concuſſerit ignibus orbem;
  Nunc meliùs Pietas ignibus uſa fuit.
Si Nemeſis tortis vulgavit juſſa flagellis,
  Si comes à tergo Pœna Satelles iit;
Hæc ſibi terror habet. Veniat mihi nectar in ora;
  Jam cano delicias, jam cano pacis opus.
Nunc tabulas Deus ipſe ſubit, ſibi corpus adaptat,
  Cujus ſcripta manu primaque lex amor eſt. *a*
Creſce Puer; creſcentque nouo tua ſcripta favore:
  Crevit, & à *Verbo* vox quoque crevit amor.
Acta probant animos: noſtrique incendia *Moſis*
  Nota facit rurſum fracta Tabella palam. *b*

Quique

a *Arca vetus, in qua Tabulæ Decalogi aſſervabantur, erat figura Chriſti, qui corpus induens, in ſeipſo legem novam, legem amoris ſcripſit. Humanitas Chriſti, qui opus amoris diviui eſt. Verbum eſt ſecunda perſona SS. Trinitatis quod velut breve factum eſt & abbreviatum in Incarnatione.*

b *Alluditur ad zelum, quo accenſus Moyſes fregit tabulas legis, Exod. 32. Chriſti flagellatio, occiſio, & ante, inſtitutio V. Sacramenti in quo maximè amor emicuit, & lex amoris confirmata eſt.*

Et membrana rubris, eheu ! minioque notata :
  Quique per has ivit clamor ad aſtra notas.
Quid moror in parvis ? ſit mors licet ultima rerum
  Linea, vota tamen longius urget amor.
Arca recluſa fuit : ſecretum protulit ignem,
  Et, *Breue* quas *Verbum* celat, Amantis opes.
O metamorphoſim ! prope cùm vicina ruinæ eſt,
  Vertitur in menſas nobilis *Arca* meas.
Legifer hîc fit Paſtor amans : nova ſancit amoris
  Pacta ! novaque ſuo jungitur arte gregi.
O pietas ! in liba venit : clareſcere vulgi
  Plauſibus hæc debet gratia, debet honos.
Commoda lex ! amat ecce prior qui poſcit amorem ;
  Igne ſuo flammam ſollicitante meam.
Commoda lex ! donis implet quam Lator amicis :
  Donis, præceptum ne ſit inane facit.
O nove Rex ! nova lex ! nova munera ! lilia pleno
  Corbe date : omnigeno ſternite flore ſolùm.
Regnat Amor : fieres vt homo, te Chriſte ſubegit,
  Imperii profert en nova jura ſui.
Pertentans humana modis corda omnibus, ecquid
  Intactum quod non moverit ille ſinit ?
Membra tibi validâ transformat, & alterat arte
  Quò magis in noſtro firmet amore pedem.
Quiſquis es, officii ne gratia ſurda putetur,
  Tot meritis gratâ mente repende vicem
Aſpice quo Moſes fragiles in honore tabellas
  Ponat; & aſpectu cultior eſto tuo.
Si tantum gerit umbra decus, quæ debita rebus
  Gratia? quæ Chriſto gloria, quantus honos ?
Non hic ligna petit, quibus includatur, Amator :
  Pande cor; illa ſacræ pars erit apta moræ.

ELE-

ELEGIA DECIMA QUARTA.

Exploditur Calvinus non CHRISTVM, ſed panem nobis relictum eſſe fingens.

MYſtica Sacra cani præbet Calvinus edenda:
Prębeat, & panis cũ cane fruſta ferat.
Scire tamen cupiam cur tam dicatur avarus
Munera qui Priſcis tanta profudit Amor.
Quo tandem fato bona tot prior abſtulit ætas,
Tot quibus orba datis æmula noſtra gemat?
Iſacidas implêrit Avos authore, locoque
Nobilis, æthereis eſca parata focis,
Cruſtula nos maneat? miſer Heraclitus adeſſet,
Ad ſimilem riſu ſolveret ora jocum. *a*
Manna pii ſublimè ferant ad ſidera Vates;
Laudis at in partem, *diva Synaxi*, venis.
Manna figura tui eſt: grati tamen illa ſaporis,
Multiplicisque boni fertilis eſca fuit.
Quod mare fert animal, quod terra, quod educat aër
Mox erat optantis liber in ore cibus.
Sive volatilibus, ſeu quis caperetur aquoſis:
Manna dabat piſces, Manna pluebat aves.

Si

a *Heraclitus Philoſophus ſemper flere ſolitus; uti contra Democritus ſemper ridere: de quibus non inſulsè quidam:*
Illéne ridendus, flendus an ille magis?

Si rerum in ſpecies extendere vota juvabit,
Explebit quamvis lata cupido famem.
Æmula Perdici volucri nunc æmula Phaſis
Arbitrio linguæ pro libituque feret.
Et quam non Auceps, non arbos illita viſco,
Nullaque decipient fila, capeſſet avem.
Explorare tuus labor eſt quid amabile poſcas,
In tua mox veniet quem cupis, ora ſapor.
Te fors aſſa juvant, capis ætheris ignibus aſſa:
Cocta voles lymphis? nubis habentur aquis.
Sive petas dulcem, mulcebit & eſca palatum:
Sive petas acidam, ſenſus acoris erit.
Si quis amans nemoris pinguem ſibi devocet aprum,
Mox ſine venatu corripietur aper
Denique cujuſvis capiare cupidine menſæ
Ubera naturæ Manna feracis habet.
Ergone ſic Priſcis ierit fœcunda bonorum,
Et macra jam nobis currat agenda dies?
Scilicet huc ſpectat veſtitum corpore Numen:
Sic homo Mortales arſerit ille Deus?
Sexcentos jaciat Sol hîc formoſior ignes,
Nil tamen unde calor concipiatur, erit?
Melle fluit Cælum, Charitumque liqueſcit in imbres,
Et ſitiat putri torpida gleba ſolo?
Umbra cadit ſurgente die: ſic *Gratia Legi*
Præſtat, & innumerâ prole beata præit;
Et ſterilem Calvine voles? an reris JESUM
Angelicæ humanam ſuppoſuiſſe dapem?
O ſine mente caput! te Judice ſcilicet æquo
Res jacet; eſt rebus major imago ſuis.
At reor, indulgens Priſcis Deus ætheris arcas
Exhauſit; nec habet quas ſuperaddat opes!

Diſpereas

Diſpereas! nobis cognato ſanguine vinctus
De ſupero miſit nobiliora penu.
Ipſe genus noſtrum factus cum fœnore reddit
Pluſquam delicias, gens Abrahema, tuas.
Imò foret Patribus ſors invidioſa Nepotum
Si Superos livor carpere poſſet iners.
Et gazas; & opes, & parvi cætera ducit;
Se niſi det, credit nil dare, quiſquis amat.
Jam ſequitur ſua dona dator, dat pignus amoris
Quo calet, & minor eſt penè favore fides.
Ipſe bonorum author (quo nos dignatur honore!)
Ipſe venit nobis potus, & eſca Deus.
I canis; & validos in Phæben ede latratus:
Nil agis, illa ſuo lucida Sole manet.
Luna Deo ſub Sole Fides non deficit unquam,
Hæreſis hîc quamvis rauca Lyciſca latret.
Nos opibus tantis, tantis & honoribus aucti,
Nate Deo, in titulos ſolvimus ora tuos.
Vincis enim quantâ tu cætera munera laude
Turba ſumus Priſcis hoc tibi pluris Avis.
Qui *Nova Liba* tuis, & qui *Bona Vina* reſervas,
Gaudia quæ nobis *Architricline* moves. *a*

a *Joan.* 2. *Servaſti bonum Vinum uſque adhuc, &c.*

ELEGIA DECIMA-QUINTA.

CHRISTI Amor inexplebilis humanum hìc excitat amorem.

Quid non tentat Amans, ut re potiatur amatâ!
Fræna pati renuit curſibus ille ſuis.
Nate Deo, exemplum toti proponeris Orbi
Quò pietas animos, quò ſacer ardor agit.
In genus hic noſtrum, vitâ ſibi charius ipsâ
Fertur, in illius neſcit amore modum.
Eſſe parum reputat nos exemiſſe catenis,
Vincula cùm ferret, quâ modò ſceptra manu,
Et nobis meruiſſe ſuo nova gaudia planctu;
Et nos pauperie nobilitaſſe ſuâ.
Quodque labore quies, dirâ cruce parta voluptas,
Quodque ſacrâ nobis vita ſit empta nece.
Hæc inquam, licet eximium teſtentur amorem,
Pro minimo ducit, nec pia vota replent.
Vivendi finem fecit, non fecit amandi,
Sæpe ſolet motâ creſcere flamma face,
Arſit & ille magis fatis agitatus iniquis:
Et quò plura dedit, plus dare poſſe cupit.
Sentio me in ſublime rapi: duce transferor illo,
Penè fidem ſuperat grande quod urget opus.
Quàm valet ingenio, tam præſtat robore; quidni
Talibus auxiliis magna moveret Amor?

In ſua jam letho propior ſe vertit Amator
  Munera: per longos continuanda dies.
Ipſe ſibi ſupereſt: & frons licet altera reſtet,
  Non tamen eſt alius; degener ipſe ſui.
Mutuat amotæ Cereris velamen, ut eſcâ
  Sub facili ſibi nos conſociare queat.
Ac primùm licet ora petat, vult pectore condi:
  Fertur in hæc avido mollia clauſtra pede.
Ipſius ardorem vicinia cordis amati
  Provocat; hoc ſolùm carcere liber erit.
Hîc flammam ſatiabit Amans: talem ipſe receſſum
  Sponte ſubit, ſtudio præveniente ducem.
Dant membris alimenta dapes, dare poſtulat ille
  Mentibus; & flammis paſcere corda ſuis.
Sed dolor! humano langueſcunt pectore motus,
  Cùm ſacer in noſtram convolat ignis humum.
Ah! vice converſâ nos impetus ille decebat:
  Inque Deum ſimili pectoris igne rapi.
Quin ſimul ingenio gliſcit violentia noſtro?
  Quin ardore pari quò volat ille, ſequor?
Nos huc ingenuis vis indita mentibus urget:
  Nos huc innati luminis aura vocat.
Ut tamen hæc demas; quos non accendat amores
  Terrigenis tantæ gratia facta rei?
Allicit herba pecus, fœnum vel avena caballos,
  Et jactum in molli ceſpite ſemen aves.
Invitat gramen teneros cum Matribus agnos:
  Rore cicada novo gaudet, apiſque thymo.
Quid multis? patitur ſe quiſque cupidine duci;
  Et ſua mortalem gaudia quemque trahunt.
Cur igitur tam ſegnis habet nos torpor Amantes?
  Cur petimus lento dona ſacrata pede?

Paſtor

Paſtor adeſt; qui per tempe, per amœna vireta,
Qui nos elyſii per juga collis agat.
Nos cupit hîc prius ambroſiâ, nos paſcere lotho,
Et ſapido noſtram pellere fonte ſitim.
At cur Paſtorem dixi? nimis eſſe videtur
Ruſtica vox; tanto nec ſatis æqua Deo.
Nec propriis alit Upilio de ſumptibus agnos,
Nec ſe lanigeræ, nec ſua donat ovi.
Hic proprii dat ruris opes & germina fundi:
Pabula dat gregibus non aliena ſuis.
Vindicat ille ſibi titulos, & Matris honores
Qui tanquam Genitrix nos vice prolis habet.
EUCHARI Regales nobis præbente mamillas
Quid niſi lactifluæ munera Matris obit.
Imò ſui non particulam velut ubere pleno
Detrahit; at ſobolis totus in ora venit.
Totus in ora venit, penetratque in viſcera totus;
Ulteriusque volens ire nequiret Amor.
Sic plus Matre facit; ſed nos ante ora Parentis
Sæpe peregrino vivere lacte juvat.
Arguit hoc vel muta pecus. De Matribus unam
Mille petens, medios pervolat agna greges.
Hinnulus in ſylvis ut in alta fronde moretur:
Cara tamen ſylvis, notaque Mater erit.
Vel fera tigris amat, ſequiturque per antra Parentem,
Et comes it catulo ſæva leæna ſuo.
Et nos, Chriſte, tui capiant oblivia lactis?
Mater es, at nobis plus fera cordis habet.

ELE-

ELEGIA DECIMA SEXTA.

CHRISTVS in hoc Sacramento perpetua eſt Amoris victima.

PEr ſcelus omne ruens ab humo gens nata parente
Sedibus expulerat faſque piumq; ſuis.
Jam Deus ultrices animo collegerat iras
Orbis & in pœnas non ſatis unus erat.
Quando *Charis* cœpit curis mordacibus angi,
Et ſoboli metuens limen Amoris adit.
Mœrentem ſolatur Amor: ſoror optima, vano
Parce metu; nos hæc cura remordet, ait.
Quàm tua, tam mea res agitur. Simul ante tribunal
Numinis alatis conſtitit actus equis.
Perdere parce tuos, Pater ô mitiſſime, Natos;
Quâ tibi terra litet, victima, dixit, erit.
Ira cadat; motas animo compone querelas;
Juſtaque vindictæ ſupprime fræna tuæ.
Te vitiis irritat homo? te dira laceſſit
Terra Gomorrhæis digna perire focis? *a*

Implorat

a *Gomorrha, Sodoma, Seboim, Adama, Segor, quinque Civitates igne cæleſti deflagrârunt, ob horrenda ſcelera.*

Implorat veniam ſanguis tuus: adſtat JESUS
  Non leve qui pretium pro grege ſonte dabit.
Suſpendat ſacer arma Furor: mala debita ſolvet
  Ille Deus. crimen diluet omne nece.
Sanguine placari poſcis? fundetur abundè:
  Quamque bibat cuſpis gutta ſuprema cadet.
Nec mors, quâ gravius nihil eſt, ipſius amores
  Explebit: cupiet plus ſemel ille mori.
Cerne, Pater, Nati quò ſeſe porrigat ardor:
  Altius humanis viribus edit opus.
Materies oneroſa licet ſit corpus, Amanti
  Serviet, & quod habet pondere diſcet onus.
Et caro docta ſequi puras ſine corpore mentes
  Naturæ excedet jura, modumque ſuæ.
Non adſtricta loco, ſed ab omni libera mole
  Nulla Deo fiet ſarcina, nullus obex.
Sic Genios imitatus Amans, dum permanet idem,
  In ſpeciem noſtris artibus alter erit.
In Cerere abſumet Cererem: quæ vela relinquet,
  Ipſi pro latebris, ac vice nubis erunt.
Nec tam ſæpe redux dabit Orbi lumina Titan,
  Quàm premet hic radios panis in orbe ſuos.
Imò dies, horaſque ſuis occaſibus, imò
  Temporis ipſa ferè puncta notare volet.
Innumero, ſimul aſtra colens, ſimul inde receſſu
  Lucida triticeis conteget ora notis.
His nova ſub vitis quaſi dandus victima morti
  Eliget humanos in pia buſta ſinus.
Hîc toties velut occumbet, ſeu deſinet eſſe
  Spicea quot ſtomacho ſigna calente cadent.
Sic vitæ, mortiſque potens, iterata ſuorum
  Hoſtia, ſæpe volet vivere, ſæpe mori.

Iſta vides? nec te Nati clementia tangit?
Altius hic omni crimine clamat amor.
Si gladios *Aſtrea* rotet, ſcelus exigat iras.
Exorant animos talia facta tuos. *a*
Nobile ſi lytrum trutinâ penſaveris æquâ,
Grandia qui ſolvat nomina ſponſor adeſt.
His Pater auditis, quis, ait pugnabit Amori?
Cedimus, & rigidæ ponimus arma manus.
Riſit ad hæc feſtivus Amor; Charitémque reviſens,
Et Patris, & Nati munere lætus iit.
Ergo age *Mæandros* vitioſæ deſere vitæ,
Quæ tuis ad ſtygios devia turba lacus. *b*
Flecte aliò puppim, perituraque contrahe vela.
Illos pande ſinus quos ſacer implet Amor,

a *Aſtræa Dea Juſtitiæ.*
b *Mæander fluvius eſt ſinuoſis & obliquis flexibus: Bene peccatores figurat; de quibus Vates Regius Pſal.* 11. *canit: Impii in circuitu ambulant: nempe à vitiis quæ ad tempus interdum relinquunt, ad eadem circulariter redeunt.*

ELE-

ELEGIA DECIMA-SEPTIMA.

Animi CHRISTUM in Venerabili Euchariſtia redamantis ardores.

QUos, affectat Adam nimis alta ſecutus, honores
Hoſpitibus defert EUCHARIS alma ſuis. a
Numinis ire pares fas eſt modò Numine paſtis:
Nunc tentare licet quod fuit ante nefas.
In noſtros Deus ipſe Cibos, in Corda venire
Noſtra, volens ſibi nos aſſimilare, petit.
Huc Amor armatus facibus, ſuccinctus & arcu;
Pando ſinus: in me tela faceſque volent.
Totus ego in corda, & totus ſi vertar in ora,
Tanta ſatis nequeam dicere, amare ſatis:
O ſi! ſi ſaltem hoc cœli ſpirabile lumen
Conciperet flammas, EUCHARI diva, tuas.
Sed mera ſum glacies: hiemem procul abdite Ponto;
In ſuperos animus geſtit abire focos.
Cor ſalit & ſacro calici ſe immergere tentat:
Frigus abeſt; flammas hîc liquor intus alit.
Te ſocianda Deo levis æmulor undula; juſque
Fauſta tuum titulis apprecor uua meis.

a *Eritis ſicut Dii, Geneſ. 3.*

Quid? liquidæ ſub veſte rei latitabit JESUS,
Quo ſenſus vacuos, & cor inane geram?
Pars quota, Chriſte, tuæ ſunt vina latexque voluptæ?
At cor delicii pars bene magna tui eſt.
Nempe cor ut ſubeas, facili ſubmitteris eſcæ;
Subque cibis in nos, ſubque liquore fluis.
Flamma quidem nativa mero, mihi lãguida mens eſt:
Labimur in terram more fluentis aquæ.
Cùm liquidas imitemur aquas; elementa minora
Qui vino ſocias, *Myſta*, cor adde meum.
Aut potius Divi faveant; & ad EUCHARIS aras
Fax ero, vel vigili lumine lampas ero.
Ne qua faci deſit, pereatque in lampade flamma,
Ipſe vicem *Veſtæ* noſter obiret amor. *a*
Dicitur ignis amor: curſum rapit ille; volatque
Ad tua ſub Cereris tegmine corda, Deus.
Tunc Seraphim, veſtros cupiam ſpirare calores:
Tunc vivam mediis ut Salamandra focis.
Ipſe ſuos, ne deficiant, meus Aliger ignes
Suggeret; & flammam non ſinet igne mori.
Sed quò me cupidum pius abripit error, ut auſim
Vile caput ſuperis inſerûiſſe choris.
Non bene ſidereos meditor temerarius auſus
Cùm mihi demiſſas penna ſit inter aves.
Inferiora legat quem non vehit ala per aſtra:
Hîc moror, & voti contraho vela mei.
Terreno pòtius claudat ſua limite vota
Quiſquis ab immunda, nomina ducit, humo.
Da, Deus, & ſatis eſt, breuis arcæ ſorte vel aræ
Poſſe frui; aut vitri quo mea flamma latet.

Oſcula

a *Veſta virgo deputata ſervando igni perpetuo in Deorum Delubris.*

Oſcula, & amplexus, quæ non dant illa, daremus:
 Et ſtreperet modulis arca vel ara meis.
Si favor excedat meritum: ſin denique planta:
 Eſt ſuus in plantis germinibusque calor.
Protinus humanos, ſi ſic lubet, exuo vultus,
 Dummodo te gratâ relligione colam.
Æmulor officium quod obit dę floribus unus:
 Expers ille licet ſit rationis, amat.
Et titulos à ſole trahit: quàm gratia floris
 Iſtius eſt votis invidioſa meis! a
Exoſus terras petit æthera: principis aſtri
 Ad motus varios fertque, refertque caput,
Ipſe comes, quò quò dominus properaverit, ibit.
 Seu cadat; æquoreis ſive reſurgat aquis.
Scilicet it quò pellit amor: duce flectitur illo:
 Subque ſuo tacitè cortice dicit: amo.
Diſſimiles, at corde pari ſe mane ſalutant:
 Et ſibi dant orto veſpere dulce Vale.
Sic age nobiſcum: ſic noſtra *Dieſpiter* affla
 Pectora: qui ſacra ſpargis in æde diem. b
Curſus ibi, cœlumque tuum eſt; cùm tactus amore
 Tendis in humanos orbe minore ſinus.
Quòve tuum faciles oculos vertamus ad aſtrum,
 Ad nos ætherea vertis ab arce pedem.
Néve tuis abdi renuam conviva medullis,
 Inque dapes noſtras abderis, inque fibras.
Oſcula libari tibi vis, dare plura paratus;
 In nos amplexu dum propiore ruis

a *Heliotropium flos dictus eo nomine quod ſe vertat ad Solem.*

b *Dieſpiter quaſi diei pater.*

Nos ſimul ô mea lux ! amor unus jungat Amantes ,
Tu mihi ſis Phœbus, ſim vice floris ego.
Ergo terra vale : peto nunc peto ſidera curſu :
Sol meus eſt iſthic , quo rapit ille, ſequor.
Erro ; valete poli : poſthàc moror incola terris :
Solſequiumque ferent me ſacra tecta ſuum.

JUCUNDI SACRÆ SYNAXEOS AMORES, SIVE CHRISTUS IN EUCHARISTIA SUMMOPERE AMANS ET AMABILIS.

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA PRIMA.

Quare ſub panis accidentibus ſit inſtituta & unde dicta Communio.

HOc habet omnis Amans; ſi quid bene geſſit Amicus,
Mente tenet, verbis verſat, amore colit.
Nos quoque munifici juvet acta referre Tonantis,
Nos juvet Aoniâ concelebrare lyrâ.
Quid fuit è multis ut adorea ſigna ſubiret,
Ac legeret panis candida vela Deus.

Quin

Quin latices pro nube legit fons ipſe ſalutis?
Ecquid in aſtra ſuas ejaculatur aquas?
Si nobis res cruda nocet, Rex floridus idem
Quin amat in coctæ rore latere roſæ? *a*
Idem *Liliolum Vallis*, *Flos* denique *Campi*,
Inde laboratis ſe bene condat aquis. *b*
Gratia ſit verbo; tener hunc ſibi vendicat agnus,
Nam ſine balatu vellera ſeque dedit. *c*
Moribus agnus erat titulisque: veniret in eſcam
Blandius agninis cognitus ille notis. *d*
Parcat Amor cupido, nec ſors ſatis æqua roganti;
Cur non in Piſcem diſſimulatus iit.
Sanguineis ſuffuſus aquis mare mortis amarum
Senſit & armatos in ſua fata notos.
Et piſcem ſocios cùm partiretur in omnes,
Muneribus poterat tunc comes ire ſuis.
Quin favus adiunctus noſtro quoque favit amori?
Ille ſacri verè ſymbola cordis habet. *e*
Nate Deo, Hyblæum nectar dulcedine vincis;
Debueras puro non niſi melle tegi.
Quę tibi nativa eſt bonitas, in imagine noſci
Poſſet, & indiciis corda movere ſuis.
Ad te fas eſſet geminâ dulcedine ductos
Sugere parte tui quod meliore latet.

Nec

a *Chriſtus Nazaræus hoc eſt floridus, ex Nazareth. hebraicè florida.*
b *S. Hieron. lib. 4. in caput* 11. *Iſaiæ dicit: hæc verba Ego flos campi & lilium convallium, eſſe verba Salvatoris de ſeipſo.*
c *Quaſi agnus coram tondente ſe, &c. Iſaiæ* 53.
d *Ecce Agnus Dei, Joann.* 1.
e *Obtulerunt ei partem piſcis aſſi & favum mellis & ſumens reliquias dedit eis Lucæ* 24.

Nec tamen in voto fuit his te credere ſignis :
Sola gerit tantum ſpicea forma decus.
Diſcite cur ſolùm Cereali gaudeat umbrâ ;
Nec JESU latebras altera forma juvet.
Caverat electu ne quid peccaret in illo
Ingenii ſolers experientis Amor.
Res aqua fluxa nimis bibulas expirat in auras :
Fons duraturis iſte fluebat aquis.
Mella liquent leviter facili vincenda calore :
Ferre Dei validas non meruêre faces
Piſcis & exangues vitiantur odoribus agni :
Nec ſupera dignum mente cadaver erat.
Cuilibet apta Ceres menſæ, faciliſque paratu
Eſt, vinci facilem, quæ gerat apta Deum.
Hâc ſibi delegit tacitos in nube receſſus :
Ne Majeſtatis vota rerardet honor.
Ut tibi quàm panis, tam penè domeſticus eſſet :
Et cuivis promptam ferret amanter opem.
Moverit hæc illum, cauſâ non tangitur unâ :
Et quam ſubjicio non leve pondus habet.
Fœdus amicitiæ ſua per convivia firmat :
Ipſaque convivas admonet eſca ſuos.
Sunt quidam pani nexus : pars parte ligatur :
Inque breves micas non bene vinctus abit.
Qui ſacer hoſpes adeſt Cereris ſub tegmine, mores
Inſtruit ; & vitæ dat documenta tuæ.
Diſſidium pius odit Amans ; ſibi mutua jungi
Pectora cœleſti poſcit alenda dape.
Non vult bella, ſuos non Mars irritet Alumnos ;
Sed Pax, & ſocio nectat amore fides ;
Ipſa laboratæ Cereris fundamina cerne,
Invenies pacis quas imitere notas.

Aſpicis ut primis ſocietur ariſta maniplis,
  Demetitur junctâ cum ſeges alta manu.
Tum geminæ labor ipſe molę conſpirat in unum;
  Unde cadit lento trita farina pede.
Granaque conjuncti dentem perpeſſa molaris,
  Jus quoddam inter ſe proximitatis habent.
Denique quam lymphę ſubigunt jam proxima pani
  Sub compage nova maſſa fit arte tenax.
Altera Vincla parat quibus adſtringamur Amantes
  Qui ſubit in populi Fercula lauta Deus.
Tendit ad innumeros; quos ut diſtinguat & ætas,
  Et locus & mores: par tamen ambit amor.
Jungit amor diverſa ſibi diſcrimine nullo
  Chriſtus habet, parili quos alit ille cibo.
Nam quamvis diſtincta micent vel ſigna vel ora,
  Sub ſignis idem, qui replet ora, latet.
Indicat hoc titulis *Communio* ſive *Synaxis*:
  En illa referes nil Phariſæe dape. *a*]
At bene juncta gerant ſociali pectora nexu.
  Quos adit unus Amans, quos cibus unus alit.

a *Phariſæus id eſt ſeparatus, diviſus, ab hæbræo phares, Diviſio*

ELE-

ELEGIA SECUNDA.

CHRISTVS in Euchariſtia docet hominem obedire Deo.

NUtrimenta damus flammæ ſub corde fovendæ, (hiems.
Nequa ſacris epulis pectoris obſtet
Dic age cur linguæ tã ſit diffuſa poteſtas
Ut ſub vela vocet, qui regit aſtra Deũ?
Quî fit ut authori rerum det homuncio jura?
Cur tantum humano ponit in ore Deus.
Diluitur certè primævæ culpa ruinæ,
Qui primus potuit ſuccubuiſſe Parens.
Nempe rebellarat ſub primi exordia mundi
Pene prius moriens, quàm bene natus Adam.
Peſſima traxerunt ſeros exempla nepotes,
Excuſſo indociles juſſa ſubire jugo,
Jam ſacra peſſum ibant: majoraque vocibus auſus
Fulminis author homo, quò peteretur erat.
Sed miſeratus Amor telum arripit, inſtruit arcum:
Hoc jaculo melius grex, ait icte cades.
Aſpice quid poſſim: juſſis mortalibus Orbis
Ipſe opifex ultro colla, manusque dabit.
Dixit, & humanos illo duce venit in artus
Venturus poſthac in nova juſſa Deus.
Nulla mora eſt: voto ipſe ſui reſpondit Amoris:
Ad nova juſſa celer, corpore tectus, adeſt.

Quid

Quid multis ſolùm voces ſibi quinque reſervat,
Se quibus expletis, ſiſtere certus erit.
Cumque volet Myſtes, jus exercebit in illùm:
Nec dubitat voces illius ille ſequi.
Sed quò juſſa ferunt? an ad alta palatia Regum?
Ad trabeam, ad ſellas, ad Salomonis ebur?
Nunquid ad Heſperidum ſedes, ac florida tempe?
Ad Zephiri & Floræ regna, ſolique decus?
Quò nos depicti color, aut odor allicit horti;
Ruris amor, violæ gratia, forma roſæ.
Aut ubi muſta fluunt, & odorem naribus afflant
Balſama, ubi captes ore mel, aure melos.
An, quò juſſa ferunt, illi comes exit eunti,
Gloria? Fama tubis accinit? adſtat Honos?
Ardua num forſan ſcandit Capitolia victor,
Inque coronatis eminet altus equis?
Aut oſtro, aut gemmis, & multo ſplendicat auro
Ingenitâ qualem nobilitate decet?
Nil movet iſtorum quoties huc ritè vocatus
Certa prius Myſtâ verba loquente venit.
Ad data juſſa volat, non centum nixa columnis
Atria, & illuſtres promptus adire domos,
Veris opes luſtrare celer: perfuſus odore
Balſameo, nitidas flore premente comas.
Non ad ebur dentis Lybici, nec ad alta Deorum
Templa coronatis ducitur ille rotis.
Eſt illi lucente aliquid pretioſius auro,
Et pluſquam ingentes, quas humus abdit opes.
Et plus illecebris, quibus aufert corda Voluptas:
Diſcite quò tandem, ſic ubi paret, abit.
Una, fide majus! ſibi quam mandantis adoptat
Imperio, eſt noſtris uſibus apta Ceres.

Una

Una Ceres, quâ ſe occultet paſturus Amantem;
  Omnibus hæc illi prævalet una bonis.
Hanc amat, hanc optat; ſedem ſuſpirat in illam:
  Huc, ubi *myſta* volet, fervidus ire parat.
Sic ſobolem nutrire Pater, ſic ſperat amator
  Jungere pectoribus pectora noſtra ſuis.
Sic homini amplexus manicas ſic nectere quærit;
  Quò det captivas in ſua jura manus
Viciſti cœleſtis Amor; tibi laurea cedat:
  Ibimus in leges turba ſubacta tuas.
Jam quibus exemplis Deus ipſe præivit, honori
  Ducimus, à Cœlo tradita juſſa ſequi.
Tanta ſit in Numen cùm nobis facta poteſtas,
  Numinis imperio quis dare colla neget?

ELEGIA TERTIA.

Euchariſtia Fidei myſterium ſenſus omnem captum ſuperat.

Viſere fert animus *Magnæ* miracula *Cœnæ*:
  Senſibus ire paro duxque comesque meis.
Senſus ades, pede ſed tacito, ſed fronte modeſtâ,
  Et ſancti genium devenerare loci.
Quid loquor? ire vetat Senſus reſtricta poteſtas:
  Sacrorum rudis eſt ille, nec alta ſapit.
Myſtica vileſcant hoc ſpectatore theatra:
  Occupet orcheſtram ſola ſilensque Fides.

Cenſor

Cenſor abi Senſus; fruſtra es quid in ardua ferri
  Niteris? ignotum non bene carpis iter.
Proximus exitio, fraterque ſit Icarus illi;
  Proſequitur niſu qui nimis alta ſuo.
Errat in externa facie qui cætera neſcit,
  Et quid agat validis ignibus intus Amor.
In certas voces ubi ſolverit ora Sacerdos,
  Pane locum ſupplet deficiente Deus.
Priſca licet maneat, viſumque moretur imago,
  Indiciis viſum ludit imago ſuis.
Vincat ut aſpectu lynces, molimine vano
  Tendet in arcanæ Myſtica Sacra rei.
Quid Cererem ſpectas; & abeſt, & adeſſe putetur:
  Quam ſubſunt levibns pignora magna notis!
Nec ſolùm color aſpectu deludit ocellos;
  Fallitur à ſenſu vis & odora ſuo.
Nam diffuſus odor licet hìc à pane ſuperſit,
  Pane tamen dempto ſola figura manet,
Judicium ſimul oris adi: ſubtile palatum,
  Linguaque fac ſuperam libet amica dapem.
Si qua fides linguæ, Cererem jurata reponet;
  Nec juramento culpa, ſed error erit.
Ipſe ſapor Cererem ſignat, licet exulet inde:
  Guſtus & errorem quo tueatur habet,
Senſus hebes veteris deceptus imagine formæ
  Abdita divinæ non capit acta manus.
Nec fructu caret hæc inſcitia: quina Facultas
  Et Fidei, & cœlo victima quina litat,
Hic ferimus cuncti captivo vincula collo
  Ut quod non ſequimur, deveneremur opus.
Ille ſapor, color hic, calor iſte, adjectaque quævis
  Panis ad eventum ſtantque, caduntque ſui:

Quicquid

Quicquid habet debet Cereri grex debilis! unà
Cum ſurgente oritur, cum pereunte perit.
Attamen hîc remanet ſubmoto pane ſuperſtes:
Hoc facit occultâ, qui iubet Hoſpes, ope.
Sed longè graviora moves: quis credat JESU
Sub breuibus ſignis integra membra tegi.
Nil ſpatii tenet ergo caro? quibus artibus, inquis,
Ad minimas redeant corpora magna notas?
Et caput, & cervix, & cum cervice lacerti;
Cumque humeris pectus, cum pede, crure, femur.
Totus homo, totusque Deus cogatur in arctum,
Nullaque ſint hominis ſigna nec ulla Dei?
Pandite nunc Helicona Deæ: ſtupor occupat illas:
Solaque pro Muſis hæc dedit ore Fides.
Corporis expertes animas imitatur JESU*S*:
Hoc à lege loci liber in orbe latet.
Neſcit enim ſpatium aut menſuræ limite claudi
Spiritus: ille pari corpora ſorte gerit.
Nativi didicere modum tranſcendere juris:
Naturæ leges ad ſacra juſſa ſilent.
Sindone triticea ſemel ut veletur & adſit,
Plus tamen in quavis eſt ibi parte ſemel.
Si divina rudi fas eſt exponere forma;
Illuſtrent numeros paucula ſigna meos.
Vox licet una ſonet, nitidas tamen intrat in aures
Mille: paresque ſonos angulus omnis habet.
Et ſpeculi, in partes acti, pars exhibet omnis
Conſpicienda ſemel quæ prius ora dabat.
Quique regit corpus, corpus diffuſus in omne
Eſt animus totum; pars quoque parva capit.
Par ibi res agitur: certo tamen ordine nexa,
Nativum retinent ſingula membra ſitum.

Succedit

Succedit capiti cervix, humeriſque lacerti:
Integra ſic puncto corpora fixit Amor.
Difficilis captu res eſt, & proxima fictæ,
Si ratio veri regula ſola manet.
Aſt ubi perſpicuè ratio convicta quieſcit,
E Fidei meritis excidit illa Fides. *a*
Ludat in anguſto divina potentia circo
Si pede contingi, luminibuſque queat.
Danda poteſtati non eſt menſura ſupremæ
Additur ingenio quæ nimis arcta tuo. *b*
Deficimus ſæpe in parvis: quàm multa videmus
Luce geri media quæ ſine luce latent?
Si potes, alterni cauſas ediſſere fluxus;
Cur ita ſe fugiat, ſe repetatque mare.
Si potes, exigui remoræ dic robora piſcis,
Injicit immenſæ qui ſua vincla rati.
An roſtro, an pinnis, an toto corpore nixus
Quâ tandem fluidum parte retardat iter?
Dic age cur galli cantum Rex ille ferarum
Tam pavidâ fortis percipit aure leo?
Terga dat ille fugæ, voces nec ſuſtinet illas:
Fit gracilis, tanquam fulminis ira ſonus.
Contra victor ovat criſtato vertice gallus,
Intrepidoque trucem deſpicit ore feram.
Fine carebit opus ſi quæ natura recondit
Ardua, ſint numeris commemoranda meis.

Qui

a *D. Gregor. Hom. 26. in Evangelia, Divina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cùm humana ratio præbet experimentū.*

b *Annota pulchra Auguſtini verba epiſt. 3. In talibus tota ratio facti, eſt potentia faciētis: & demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.*

Qui potuit liquidas in vinum vertere lymphas,
Qui Mundum è nihilo condere, plura poteſt.
Ipſius hoc laudi magis indulgere docemur,
Excelſæ capimus quò minus acta manus.

ELEGIA QUARTA.

Quantopere deſideret in Euchariſtiâ ſe, ſuaq; nobiſcum communicare CHRISTUS.

MAgna ſit ut venti violentia, magna ſit ignis, (nor,
Non tamen eſt acri vis in Amore mi-
Ille ſuis volucres prævertit curſibus euros
Et quod ſiderea fulmen ab arce volat.
Corripiatque licet celeres Deus iſte ſagittas,
Tangitur his tardâ non niſi meta morâ.
Occupat ipſe prior, propriâque cupidine fertur;
Quóve ſubit telis, mente præire ſolet.
Talis amor JESU eſt: volat igne citatior: illi
Eſt in mortales impetus ire ſinus.
Huc rapitur; neſcitque ſuo dare fræna calori
Donec in optata ſit ſtatione quies.
Ultima votorum eſt, geſtit quam tangere, meta
EUCHARIS: illa ſacram ſiſtit, alitque famem.
In votis unum illud habet, præque omnibus unum
Nos in Convivis annumerare ſuis.

Neu forſan poſitæ moveant faſtidia menſæ
  Inſtruxit ſapidam melle, meroque dapem.
Sedula quicquid apis per Hymettum ſudat, & Hyblã
  Nobiliore modo, mens ibi pura legit.
Tolle moras igitur: ſegni pede dedecet ire
  Quò favor & cæli gratia tanta vocat.
Increpat ipſe moras JESUS: damus ecce figuram,
  Quæ tibi ſinceri teſtis amoris erit.
Tempora noctis eunt, vigilem quam ducit amator;
  Et geſtat madidas, rore vel imbre comas.
Ipſe forem Sponſæ digito, prece pectora pulſat,
  Surda manet fuſâ Sponſa, foriſque prece. *a*
Inſtat amans, flammiſque magis quàm vocibus urget,
  Sponſa ſalutiferos captet ut ore cibos.
His quoque plura movet cùm vult mercator haberi,
  Et ſub veſte viri Mercurialis adeſt. *b*
Æthereas merces humero comportat onuſto,
  Et venale bonum, nemo quod emptor amat.
Hoc queritur; juſtis aſſurgit & ira querelis
  Sunt ubi jam laſſo tot loca preſſa pede.
Non qui demat onus, non qui ſuccedat, & ullâ
  Parte levet, non eſt qui ſibi præſtet opem.
Heu! torpent animi nil magnæ laudis egentes,
  Et Chriſti meritis gratia vana redit.
Non tamen hic lectas erythræo littore gemmas
  Expedit, aut onyches, decolor Inde, tuos.
Sed meritò poſſit quæ noſtra accendere vota,
  Ipſa rei pretium vitaque morſque Dei eſt.

Vitaque

a *Aperi mihi ſoror mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Cantic, 5.*

b *Alvares in vita P. Baltaſaris.*

Vitaque morſque Dei pretium ſit nobilis eſcæ,
Quam tamen abſque auro qui cupit emptor habet.
Tu modò pande ſinus in quos ſua munera mittat:
Nec tibi largitor, nî ſimul hoſpes erit.
Cordis amat tecto recipi, menſaſque ſub ipſas
Theſaurum exponit divitis ille domus.
Huic faciles præbere aditus quis quæſo recuſet,
Sors niſi cui felix invidioſa ſua eſt?
Ergo fac ut laxæ pateant ad pectora valvæ:
Res indigna Deo, lata repulſa foret.
Finge tamen latam: an curas & vota remittet?
Perſtat & occluſas ingemit ante fores.
Acceſſus omnes tentat per frigus & umbram;
Durius eſt animi frigus & umbra tui.
Si tandem liceat votis & Amante potiri;
Victor ovat: totâ gaudia mente capit.
Non abit in plauſus ſimiles de triſtibus oris
Dum repetit patriam qui fuit exul humum.
Non ita lætatur cùm littora denique tangit
Naufragus æquoreis penè ſepultus aquis.
Novimus hic pridem quonam ſit vulnere læſus;
Nos amat & ſimili cogitur ore loqui.
Neſcio quâ me ducit homo dulcedine, cujus
Illecebris potui cedere velle Deus. *a*
Quos nec terra queat, nec pulchrum abducere cœlum;
Adamidæ vultus abripuêre meos.
Et rurſum dubites avidis ſubſcribere votis,
Et tota effractâ pandere corda ſerâ?
Huc ſine Majeſtate venit; quæ gaudet Amoris
Victorem famulo vertice ferre pedem.

a Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum, Proverb. 8.

Perculit illius timor & reverentia Divum
Qui fert *Venturi* nuntia læta *Boni*. *a*
Is pia paſcebat lacrymis jejunia; ſanctum
Eſſe ratus, ſuperis abſtinuiſſe cibis.
Judicio peccas bone Dive; fateberis ipſe:
Teſte Deo nimium relligioſus eras.
Cùm faceret Myſtes, aderat: ſimul exilit aris
Diva Ceres, & pars illius ore ſedet.
Sic tacitè aguitur caſtus, ſed lentus amator:
Corripuit longas en Amor ipſe moras.
Et nobis reſtet mens pigra? nec igne trahamur
Chriſte tuo? victas do tibi ſponte manus.
Quid tibi ſum tanti, quem donis talibus urges?
At mihi tu ſimili lege petendus eras.
Te mea mens vice ſpectat acus; polus unicus illi es:
Tu deſideriis unicà meta meis.
Eſſe putas aliquid me Convictore potiri?
Ne tua fruſtrer ego gaudia; junge lares.
Junge lares, at corda magis; *Catharisque* favore
Corde meo caleas, incaleamque tuo. *b*

a *In vita Divi Bonaventuræ.*

b *S. Catharina Senenſis cor ſuum (ut ferunt) cum Chriſti corde commutavit.*

ELEGIA QUINTA.

CHRISTVS in Sacra Synaxi ſacer Cupido quid operetur.

FAbula res levis eſt, ſed habet ſub cortice fructum, (caret.
Utq́ue fide careat, non tamen arte
Quid vetat arcanos aperire Cupidinis aſtus?
Occidat, aut Muſæ ſerviat ille meæ.
Idaliæ lucis, ubi fundit amaracus umbram,
Dicitur Aſcanium detinuiſſe ſopor a
Dum blandi puer oris Amor ſub veſte nepotis
Cuſpidis auratæ vulnera certa daret.
Illum veſtierat cognato Cypris amictu:
Fronte gerit ficta non ſua ſigna puer.
Inſidet hic gremio: neſcit quem geſtet Eliſa:
Scilicet Aſcanii forma ſedentis erat.
Ludit & illudit: dum blandè noxius intrat
Atque imperceptâ ſerpit in oſſa face.
Illa manus, hic cor captat: dum figit in illum
Lumina, pluſquam oculis læditur illa ſuis.
Sic impune nocens alieno fidit in ore.
Læſuros certus diſſimulare dolos.
Priſca puto ſacris prælusit amoribus ætas,
Vanaq́ue gens verum vaticinata fuit.

a *Vide Fabulam apud Virgilium, lib.* 1. *Æneidos.*

Hoc certum: licet Elyſii juga collis JESUS
Incolat, humano pergit adeſſe gregi.
Frons peregrina placet (quodq́; eſt mirabile dictu)
Fit cibus: & ſapidâ nubilat ora dape.
Advenit in menſas, & amat ſub corda venire:
Inque manus facilis labitur inque ſinus.
Per varias ducit cœleſtia membra figuras;
Signa tamen fidi ſemper Amantis habet.
Se ſinit amplexu ſtringi: libatque capitque,
Oſcula, dumque tenet, dumque tenetur amat.
Ad te quantus is eſt, hilari deſcendit amore:
Te ſibi delicias, te ſua regna vocat.
Quóve magis noſtros irritet amabilis ignes,
Carpit inaſſuetas, qua data porta vias.
Per fauces aggreſſus iter præcordia ſenſim
Tentat, ut oſſa meet caſtus in ima calor.
Tela per has latebras ſua mittit apertius, umbram,
Ne malè collimet, diſcutit igne facis.
Cor ſcopus eſt; propiorque loco bene dirigit arcum:
Figit aberranti ſpicula nulla manu.
Pone leves, Conviva, metus: admitte ſagittam,
Quam pius in venas advena figit Amor.
Vulnera nulla facit, ſed cordis vulnera curat:
Dic pharetram telis exonerare velit.
Cum jaculis ſacra flamma volat: face certat & arcu,
Sollicitatque ignes, quâ valet arte tuos.
Te caſtus ſibi poſcit Hymen, te ſiſtit JESU,
Hic quoties menſas inſtruit eſca tuas.
Ipſius virtute dapis, Convictor in illum
Ætherei flammis actus Amoris, abit.
Infixus nobis validis compagibus hæret:
Nec noſtri cupido pars vacat ulla Deo.

Non

Non ita fermentum Cereris ſe in liba ſubactæ
  Fundit, ut in noſtras funditur ille fibras.
Sic permixta novæ nova fit, mutátque colorem
  Cera vetus, paribus colliquefacta focis.
Sic illapſa mero pluvialis guttula lymphæ
  Fit vinum; optati merſa liquore cadi.
Aut potius qualis poſitâ ferrugine candet
  Qui Cyclopæo ſudat in igne chalybs.
Quod fuit eſſe neges; in flammam iviſſe putetur
  Lamina; Mulciberi victa calore Dei.
Et ſacra te vincant incendia! laude ferendus
  Ille tuâ caveas emoriatur amor.

ELEGIA SECUNDA.

CHRISTUS amore capitur, & animatâ fide. Si tantùm tetigero fimbriam, &c. Matth. 9. Marc. 5.

SAcra litare Diis, & inanem reddere cultum (avos
  Cura rudes tenuit, ſeu vetus error
Non niſi thure dato, vel cæſis ante juvencis
  Credebant faciles in ſua vota Deos.
Supplicibus ſurdas præbebat Jupiter aures
  Nî Jovis ad templum victima colla daret.

Nec

Nec pelagi pacem Nereus præſtabat eunti
Ante ſuis ferret nî pia thura focis.
Tunc fore maturas credebat Vinitor uvas,
Si tibi Bacche, caper plangeret ictus humum.
Vanaque ſolliciti fierent ne vota Coloni,
Sacrabant Cereri ruſtica turba ſuem.
Et cumulat ſacris tua, Phœbe, altaria donis
Qui tibi pro medica ſupplicat æger ope.
Illa fides populos olim & dementia cepit
Non niſi muneribus Numina poſſe capi.
Sed fictis quàm priſca Diis illuditur ætas
Tam veri genium neſciit illa Dei.
Nam favet hic, & ſponte ſolet ſuccurrere lapſis:
Non quia ſub donis illius ara gemit.
Chriſtus adeſt, & in auxilium quas tendit ubique
Munere non tendit ſollicitante manus
Sola tibi pectus fiducia firmet in illum,
Quodque petes, dextra non remorante dabit.
Hac ſpe, ſive fide capitur: ſibi thuris honorem
Iſtius, & flammas illius ignis amat.
Aſpice quo fervore animi plebs ambiat illum,
Quæ Sidone ruat, quæve caterva Tyro. a
Hic oculis, alter pedibus medicamina poſcit:
Hic cuperet linguæ vincla ſoluta ſuæ.
Spes omnes tenet una: illum modò tangere detur;
Lingua, pedes, oculi quod cupiêre ferent,
Una magis memori celebratur femina facto;
Judice me multis anteferenda viris.
De ſe, deque Deo, generoſo Marte triumphat:
Sit licet infirmo corpore, mente valet.
Sola Dei molles aditus, facilesque ſalutis
Docta vias, vivâ ſtraverat ante fide.

Per

a *Lucæ 6. Multitudo copioſa plebis, &c.*

Per geminum pluſquam luſtrum depreſſerat ægram;
Sanguinis ac vitæ prodiga vena ſuæ.
Sæpe fuit Chiron conſultus, ſæpe Machaon:
Plus valuit medica ſed gravis arte labor.
Ceſſerat æs Medicis ingens, medicinaque morbo;
Nil aurum, Phœbi nil potuêre manus.
Interea fertur Chriſtus Solymæa tenere
Qui mala vel nutu pellere cuncta valet.
Erigitur Mulier, voces reſpirat ad illas;
Protinus ad Medicum, fit dolor ala, volat.
Sed propior quid agat? dubiam ſententia mentem
Traxit, eratque gravis dicere pœna malum.
Sola mali ſpecies aures offendat honeſtas:
Alternantque vices hinc pudor, inde dolor.
Non fallax tandem tetigit fiducia pectus,
Quæ mala tot ſalvo ſola pudore levet.
Nam tacitè ſecum: digitis pro vocibus utar;
Fas mihi ſit veſtem tangere; Morbe vale.
Tum Medici vultum fugiens arcente pudore,
Ponè tulit tremulam veſtis ad ima manum.
Corque manum ſequitur: tactuque cor ardet in illo;
Ceu teritur celeri fervida meta rotâ.
Hæc quoque meta mali eſt: retulit fiducia palmam;
Cùm tunica, Chriſti pectus & illa tenet.
Ipſe licet populorum undâ circumfluat, uno
Ceu plus in tactu ponderis eſſet, ait:
Sentio me tangi: noſtros celer ivit in artus
Qui fuit in dextra nunc propiore calor.
Cedo, nec invitus: miſeræ quæ vena micaret
Sat ſcio; non dubii pulſus amoris erat.
O fidei vires! quæ ſic expugnat Amantem,
Quæ capit è ſacro læta trophæa ſinu.

Ægra

Ægra diu Mulier, longo attenuata labore
  Mox redit attactâ ſana valénsque togâ.
Eſt illi ſua flamma togæ: per licia quando
  Duxit acum Genitrix, fila trahebat Amor.
Accendi eſt facilis, rapitúrque in fomite parvo:
  Aſſolet orantis vota fidémque ſequi.
Se talem præſtet qui tendit ad Eucharis aras:
  Quiſquis erit, medicam ſperet & oret opem.
Quem non languor habet, nec febribus æſtuat ullis?
  Quis ſua non læſo vulnera corde gerit?
Languida turba ſumus: torquemur febribus omnes,
  Immodico nobis pectus ab igne calet.
Luxuries urit: famæque auríque cupido
  Corda venenatâ torquet anhela ſiti.
Depaſcunt animi vires vitia omnia: carpit
  Ut febris ardenti languida membra foco.
At bene conſuluit noſtro Deus ipſe decori:
  Ara patet cunctis, & medicina malis.
Nemo Machaoniam non ſentit ab Euchari dextram
  Quem labor, aut animi triſte fatigat onus.
Fimbria ſola micet: ſeu contingenda labellis,
  Seu libanda oculis; fimbria ſola micet.
Vis tamen in tactu eſt, & ab illo plurima virtus
  Adde fidem; præſens Numen adeſſe ſcies.
Quin age, cum Medico libum medicabile ſume;
  Quo potes expulſâ liber abire febri.
Fas erit officiis Medicum, precibúsque morari,
  Imò tuos ultro geſtit obire lares.
Fas erit ipſa tuo complexu ſtingere membra:
  Membra togâ pretium majus, & inſtar habent.
Vota fides animet; rebus potiere cupitis:
  Se tibi qui totum detulit, ecqua neget?

Non

Non te, crede mihi, tanget fiducia mendax:
  Quæ te cumque tenet, detinet illa Deum.
Mille repulſarum poteris prætexere cauſas;
  Mille fides cauſas vincere ſola poteſt.

ELEGIA SEPTIMA.

CHRISTUS in Euchariſtiâ Sol animatus, nocte quoque in nos influit.

ESſe quid hoc dicam? prępoſtera legibus ire
  Aſtra ſuis, niſi me ludit imago, reor.
Nam mihi provectâ ſpectanti ſidera nocte
  Viſa fuit ſubitam ſpargere terra facem
E cœlo jubar exoritur: micat ignibus æther:
  Luce repercuſsâ tota refulſit humus.
Hîc mecum: quid id eſt? nondum caput extulit ortu
  Lucifer, & rutilo ſol vehat axe diem?
Nunquid Eous adeſt. Pyroisque Æthonque jugales
  Temporiusque Phlegon; & per inane volant?
At remanent alto nocturna crepuſcula cœlo,
  Intempeſtivâ nec face victa cadunt.
Hæc ubi ſic animo verſo, mihi candidus Ales
  Adſtitit & ſolvit talibus ora modis.
Vivis? & ignoras vitæ quis origo, quis author?
  Cujus ad imperium ſtellifer Orbis eat.

Quas duce ſub ſolito credis volitare quadrigas
  Alter in inſolito tramite rector agit.
Quâve micat, lux eſt oculis ſubducta caducis :
  Solas in mentes Sol iacit ille facem
Huic Virtus comes ire ſolet. Quem voluere currus,
  Quem Pyroënta rapi, quemve Phlegonta vides.
Quadrijuges mirare novos : ſacra eſſeda vectant
  Nixa Fide Ratio, Spe comitatus Amor.
Non malè ſenſiſti : nondum proceſſit ab undis,
  Lapſus in Heſperias veſpere Phœbus aquas.
Sed Pater hic lucis ſuperæ qui præſidet arci
  Occiduo nullos gurgite tingit equos.
Ex ſe pendentem ſolus circumſpicit Orbem ;
  Cunctaque ſub leges, & ſua jura vocat.
Conſortem Imperii neſcit : nil Sole ſub iſto
  Umbra poteſt ; nullum Nox habet atra locum.
Semper obit terras : non intervalla viarum
  Diſſita, non prohibent tempora ; ſemper obit.
Corpora dum ſomnos ducunt oblita laborum,
  Ipſe negat curis otia parva ſuis.
Nutibus invigilat Myſtæ facientis ad aras
  Sive polo ſurgant ſidera, ſive cadant.
Pyxide ſi clauſus latitet, pro pyxide pectus
  Quærit, & humano ſpes alit igne ſuas.
Si patitur clathros : clathris intermicat imis
  Quod nequit eluctans diſſimulare jubar.
Nam neque cancelli radios neque vota coërcent :
  Sunt radii flammæ, ſunt pia vota faces.
Liber Amor volitat, quis enim frænaverit ignem?
  Nullus obex ignis, nullus Amoris obex.
Et ſaxa, & muros, & ahenos objice poſtes ;
  Invenit ille ſibi quà via nulla viam.

Sit licet in templis, à te quantumlibet abſit,
Te tamen in votis ſidus amator habet.
O utinam ſcires ſuperæ commercia mentis,
Quæ tecum tacito geſtit inire foro.
Ora tacent, ſed amor loquitur: vox faucibus ulla
Non venit, at facibus cordis in aure ſonat.
Percipis ipſe ſonum, ſed non reſonabilis illi:
Teque tamen tactum diſſimulare nequis.
Te petit illiciis; avido tibi nictat ocello:
Inque fibras torquet flammea tela tuas.
Huic vires conjungit Amor: ſua ſpicula mittens
In te ſupremi militat ære ducis.
Credis & hoc? illum ætherea detraxit ab arce
Ut cordis regimen poſſit habere tui.
Hunc jubet ire levem formæ ſub amabilis eſcam
Captet ut illecebris barbara corda ſuis.
Scilicet ille tuo cibus ore receptus, Amanti
Spem facit hâc recipi ſe quoque poſſe viâ.
Spem tamen impleri prohibes; & ad omnia ſurdus
Occluſum duro cor adamante tenes.
Huc quoties tentata via eſt, quotieſque negata!
Hei mihi quàm ſegnes ad bona noſtra ſumus.
Nunc prece mollit iter, face nunc perrumpit eodem:
Nilque precum ſuadâ, nil facis igne poteſt.
Non ita Sol ſudat radiis præcinctus acutis,
Dum creat in terræ fulva metalla ſinu:
At Sol ille ſacer quàm nobile fabricat aurum!
O quantas in te cogere tentat opes.
Ergo reclude fores; tua ſolum in lucra patebunt:
Quâ locuples fias nulla niſi iſta via eſt.
Dixit; & in pectus ſacer ivit ab auribus ignis:
Laxo fores, pando pectora; vince Deus.

Accedo

Accedo nove Phœbe, tuis nova palma triumphis:
Pone ſequar currus libera præda tuos.
Vinciar hic centum nodis: Capitolia mentis
Scande meæ: cordis te penetrale tegat.

ELEGIA OCTAVA.

CHRISTUS in Euchariſtiâ geſtat Amoris inſignia.

ORdinibus Diûum numero non infima fertur
Clara Sodalitio Diva tenere locum.
Thure côli ſolitam memorant: ſed plura litabat
Quiſquis Amicorũ ſollicitabat opem.
Hæc olim fidos Dea floruit inter Amantes,
Et tulit haud dubiam Numen inane fidem.
Teſtatur vario diſtincta colore tabella
Stabat ubi mediæ dulcis imago Deæ.
Illa ſub aſpectus genium ponebat Amantis
Et certas leges muta figura dabat.
Nil temerè pictum: ſeu vox, ſeu ſigna notentur;
Conveniunt rebus ſignaque, voxque ſuis.
Ipſe color loquitur, viridi Dea fulget amictu,
Verus enim nullo tempore marcet amor.
Defluit in talos veſtis; quâ margine lato,
Vox PROPE, voxque PROCUL ducta colore micat.

Neſcit

Neſcit amor ſpatium longis licet exulet oris,
  Non tamen à chari corde Sodalis abeſt.
ANNULUS in Divæ digitis ardebat: & ardent,
  Mutua quos ſocio junxit amore fides.
COR PATET; & verbis ſine fuco elucet in ipſis:
  Nec candore caret flamma, nec ullus Amans.
SEU NECE, SEU VITA, geminæ ſtant pectore voces?
  Seu nece, ſeu vitâ verus Amicus amat.
Nomine permutes; & quem ſub imagine cantem,
  Et quid ſigna velint myſtica, doctus eris.
Quid tibi de JESU? violæ cui tincta colore
  Crevit cum Domino veſtis amica ſuo.
Nec decus innati deperdidit ante vigoris
  Quam ſibi de chari corpore fluxit Heri.
Et PATET educta veri COR Amantis ab illa:
  Quas telis hic plagas nudus amore tulit.
Nunc in Amicorum fauces, & pectus iturus
  Triticeâ velat candida membra togâ.
Diſtat, adeſtque loco præſens: PROCUL incolit aſtra;
  Et cum ſacratâ ſiſtitur æde, PROPE eſt.
Pro[illegible]s inde ſubit cùm fundit amabile nectar,
  Et menſas opibus, puraque corda replet.
Interea cœleſtis Amor ſacra fœdera ſancit:
  Et vocat in nexus pectora juncta ſuos.
ANNULUS eſt æterna fides, quæ lege perenni
  Pacta ligat; nullo diſſolüenda die.
COR PATET; & lapis eſt, qui non molleſcit ab illo:
  Cor patet in donis: munere conſtat Amor.
Cor patet, hàc ivit præacutâ cuſpide ferrum:
  Hàc, niſi ſis ferro durior, ire voles.
Muſa, pedes infer: juvat hîc juvat uſque morari:
  COR PATET: eſt modulis pervia rima tuis.

Curras

Currat ad hunc portum, quem adverſâ ſorte procellæ,
Quem mare, quem venti, quem fera jactat hiems.
Sortis amatorem, ac pelagi detergat in iſto
Corde, favi plenos ſentiet ille ſinus.
Eia ſubi, qui mente jaces, qui vulnera cordis
Accipis; hoc panaces vulnus in omne cor eſt.
Téne Cupido premit? telis mala tela repelle:
Spicula quæ JESU corde vibrentur, habes.
In te Styx Acherónque ruunt? citò pectus ad illud
Confuge; præſidium dulce latentis erit.
Sic vultur latebras, celſâque foramina rupe
Quærit, & aucupii libera fraude loca.
Sic foveas vulpes, & amica cubicula norûnt,
Cùm jam rauca graves æra dedere ſonos.
Sic ubi prædo, vias, infeſtat; ovile repoſcit
Agna; tegit volucres, ſylva, ſpecúsque feras.
Quid demum ſupereſt numeris ut denique plenis
Geſtet Amicitiæ nomina vera Deus?
Edomuit fati vires ſacer illius ignis;
Quando nec emoriens vivere ceſſat amor.
Nec cum pro charis VITAM profudit Amicis,
Ultimus hic vitæ finis, amoris erat.
Ille, licet fera MORS flammas abrumpat Amantum,
Durat inexſtinctâ poſt ſua fata face,
Vivat Amãs! qui dum ſupereſt, & in EUCHARI durat
Noſtro Phœnices exhibet Orbe duos. *a*

a *Phœnix Avis unica ſemper. In flammas actus renaſcitur è propriis cineribus.*

E L E-

ELEGIA NONA.

Quàm iniqua ſit ac pernicioſa Miſterii hujus impugnatio.

TUm validos ſpargit jam Sol altiſſimus ignes
Cum rapidò medium dividit axe diẽ.
Et currum ſublimis agit qui regnat in orbe
Divus Amor, curſus explicat ille ſuos,
Pulcher Amor! cæli ſuperâ qui lapſus ab arce
Illuſtrat radio ſplendidiore ſolum.
Pulcher Amor! face vel jaculo qui lædere neſcit,
Ludere ſed noſtro cum grege comis amat.
Et tamen hunc rodat petulanti Zoïlus ore?
Carpat & innocuos ſtyx inimica focos?
Nate Deo, ut puris niteas ſincerius aſtris;
Hæc tibi ſinceri demere jura cupit.
Illa dapem, illa tuam maculat fuligine flammam,
Ceu premitur triſti candida nube dies.
Arguo perjuros, inſanáque pulpita damno,
Sunt quibus obliquâ dogmata ſparſa fide.
Mille tetenderunt per amicas retia voces,
Voces, unde tuus, Chriſte, pateſcit amor.
Barbarus interpres, qui ſic detorſit amorem!
Ille fuit fidei, Grammatícæque rudis.
Plecte, Minerva, nefas: nam quid revocantur aperti
In dubium ſenſu deteriore ſoni?

Quæritur in ſcirpo nodus, glacieſque ſub igne,
In nive nigredo, nox ubi nata dies.
Vulturibus præda eſt nimis audax latro Prometheus
Qui clepſit modicam Solis ab axe facem. *a*
Quot tua mi JESU, minuunt incendia fures!
Quot tua ſacrilego munera dente petunt.
Hærèſis à caſtis non paucula diripit aris:
Tollere vel ſi quid neſcit, ineſſe negat.
Hæc fucata genas, formam mentita colore,
Ora gerit Fidei ficta; Deamque putes.]
In prædam veniat dominantibus æquore monſtris:
Caſſiope minus eſt Andromedéque rea. *b*
Serpentum fœcunda Parens, velut Hydra malorum,
Hæreſis æthereas inficit ore dapes.
Grex Harpyiarum nitidam contaminat eſcam,
Et ſua de noſtro toxica melle facit. *c*
Mitte tamen, pia turba, metus: ne diffuge menſis;
Eucharis, invidiâ fomite creſcet honos.
At ſi nos audis, ſimili ne jungere ſectæ:
Tardigrados alibi crabro laceſſat equos.
Sic ubi jam circumvolitant alvearia fuci
Nulla ſagax iſthic mella frequentat apis.
Sic ubi fumoſo fuſcantur tecta camino,
Non huc Chaonias ire videbis aves.

Nempe

a *Prometheus in monte Caucaſo dicitur à vulture rodi, quia ignem à curru ſolari ſuffuratus eſt.*

b *Caſſiope ſe prætulerat Nymphis marinis in formæ elegantia: hinc illæ exacerbatæ Adromeden ejus filiam Ceto devorandam objecerunt. Perſeus eam liberauit.*

c *Harpyiæ dictæ ab ἁρπάζειν rapere figura Hæreſeos. De iis Virg. lib. 3. Æneid.*

Triſtius haud monſtrũ nec ſævior ulla Peſtis & ira Deûm.

Nempe rebellis adhuc cœleſtis Apoſtata, Chriſti
  Inquinat amplexus, perſequiturque favos.
Par odio furor eſt; & adhuc exardet in iras:
  Nocte premi cuperet, quæ meruêre diem.
Quâ nobis licet ad Superos evadere penna
  Aggravat, aggeſto commaculatque luto.
Supprimit ut ſiccet rivos, in origine fontem,
  Ne fundat medicas vena ſalubris aquas.
Scit bene ſeminibus ſurgat quis fructus ab illis;
  Quæ corvus roſtris eruit, ungue terit.
Horrea ne poſſis in latam extendere meſſem,
  Spargit humo tribulos, ac vitiatur ager.
Hic ſata læta necat ſomnum captante Colono,
  Et *Zizaniſator* nomen ab arte tulit. *a*
Hic *inimicus homo* eſt: lolium ſuccrevit ab illo
  Dignaque non terris, at Stygis igne filix.

ELEGIA DECIMA.

Manna, fuit quædam Venerabilis Euchariſtiæ adumbratio.

PHidiacum laudamus opus ſi mortua ſpirent
  Marmora; ſi rebus par ſit imago ſuis.
Qui conferre volet noſtræ vetus EUCHARI Manna,
  Eſca prior, dicet, forma ſequentis erat.

a *Cùm dormirent homines inimicus homo ſuperſeminavit zizania, Matt. 3.*

Tu geminæ dapis author amor, ſis arbiter idem:
  Non erit arbitrii gratia vana tui.
Inventis dici poteris feliciter uſus:
  Arte novâ doctus diſſimulare facem.
Ludis enim ſub utroque cibo: capis ora, capíſque
  Pectora; dum Pietas, quo colat aſtra, gerit
Concipe mente modos: rebus compone figuras:
  Sic te ſæpe lyris pulcher Apollo canat.
Ille: quid ô Vates optas? peccamus uterque
  Non facit ad magnum parvula Muſa melos.
Priſca licet vatum veniant in carmina dona;
  Non cadit in tenues Eucharis alma modos.
In me nulla tamen mora ſit: quæ vela dediſti
  Proſequor: afflatus ſubvenit aura mei.
Ordior à Manna: rebus præmitto figuras:
  Quam fuit exiguæ laus numeroſa dapis!
Dinumera varium quota mulceat eſca palatum,
  Et pariter Mannæ dinumerabis opes.
Sit tibi nota prius ſtomachi diverſa cupido;
  Quidve virens ætas, quidve ſenilis amet.
Ante maris piſces, aviúmque per aëra turmas,
  Ante refer cupidæ fercula mille gulæ.
Et pecus in campis, & florens arbor in hortis,
  Et fera per ſylvas enumeranda venit.
Aſpice multiplices ut ſe diffundat in eſcas
  Quantumvis modica mole, levíſque cibus.
Non bona plura tulit cui plus res viſa ferebat:
  Ibat & in minimos copia plena ſinus.
Eucharis hic tenor eſt: ſpecie manet una ſub omni:
  Donáque ſub vili maxima fronte tegit.
Nil hic forma facit: virtus eſt limitis expers
  Excedit ſpatium gratia, réſque locum.

Res eadem tegitur quantumvis diſpare velo:
  Totius authorem pars quoque parva capit.
Si guſtum recreet, varios ſi præbeat uſus
  Multiplices doctum Manna referre cibos;
Et ſua divinus variat convivia Panis
  Apta ſevare famem, pellere nata ſitim.
At ne vulgaris fingas tibi fercula menſæ;
  Qualia tum rudibus manna profudit Avis.
Par geminæ dapis eſt author, ſed gratia diſpar,
  Una licet cæli reddat origo pares.
Quis velit oceano laticis componere guttam?
  Cætera dic guttas; Eucharis una mare eſt,
Delicii mare grande ſacri: nil crede caducum,
  Nil tibi cæleſtis vile miniſtrat amor.
Angelicæ titulos eſcæ licet utraque geſtet;
  Majorem Angelicâ denotat una manum.
Diſſociat virtus illas, diſtinguit & uſus,
  Sint ſpecie affines utraque, ſintqúe loco.
Eucharis in guſtus etiam protenditur omnes;
  Sidereos terris exhibitura favos.
Pluribus illecebris certat; nec deficit illic
  Qui mulcet placidè pectora pura ſapor.
Hinc dator, hinc donum, Charites ſimul inde relucēt,
  Quot pietas ignes inde, quot inde jacit!
Cætera fac deſint; ſatis ipſo munere felix.
  Quæ ſibi quiſque volet carpere dona poteſt.
Sanguineas ne ſperne notas; *Roſa* fragrat in illis,
  Fercula condiri talibus iſta petunt.
Vitalem hîc ſuccnm venâ ſectare patenti:
  Sponte ſuâ quinis proſilit ille viis.
Dulcia ſi placeant, aut ſi ducaris amaris,
  Dulcia pro votis, hinc vel amara lege.

Ne tamen ante minus notâ dapis indole pecces,
Sit prælibandæ proxima cura rei
Sed linguæ fuge judicium : nam Judice linguâ
Muneris immenſi gratia vilis erit.
Senſibus amotis Fidei cenſura feratur :
Ac ſuperæ mentis mente probetur opus.

ELEGIA UNDECIMA.

Quid à CHRISTO nobis in Sacra Synaxi intimè præſente bene poſtuletur.

MYſtica quando voles poſitâ Sacra ſumere menſâ
O cave ne torpens otia ducat Amor.
Obſonare famem dapis ipſius ante decebit :
Ad ſtomachum faciet ſic magis illa tuum.
Ah quotus eſt æquâ penſet qui fercula lance !
Quàm tamen immenſi pondus amoris habent !
Maximus ille Deus minimam ſe cogit in eſcam
Apta ſit ut lucris parva figura tuis.
Fertur Eliſæus puerum revocaſſe ſub auras,
Cùm ſua contractâ corpora mole tulit. *a*
Accubitu ſimili quantum deſudat JESUS,
Dum cupit afflatu nos animare ſuo.

a *Puer mortuus jacebat, &c. Poſuitque os ſuper os ejus, & oculos ſuper oculos ejus, & manus ſuper manus ejus, &c. 4. Reg. 4.*

Quò nobis lapſæ redeant in pectora vires
Ingenii vires exerit ipſe ſui.
Seque minor, velut humanos converſus in uſus,
Objicitur noſtris blanda medela malis.
Oribus os, oculos oculis componere geſtit:
Figit & appreſſis oſcula mille genis.
Pectora pectoribus ſociat, cor amabile cordi:
Pronaque in amplexum brachia bina gerit.
Adde ſacris facibus flammam cordiſque ſoluto
Frigore divinis accide præda focis.
Cúmque tuos ſeſe penitus diffundet in artus,
Illi te comitem junge nec unus eat.
Membra fac ut relevet pulſis languoribus ægra:
Det veniam erratis ſeu pede, ſive manu.
Tunc animo ſubeat Sindon comes ultima Chriſto,
Ultima quem meruit buſta per ipſa ſequi.
Invidioſa refert tibi præmia, ſigna favoris
Aſpice: tum ſimili carmine paſce ſitim. [a]
O Sindon felix; felici ſtamine tela,
Tela miniſterii ſorte beata tui.
Docta pias filis bibulis haurire figuras;
Et dum pingit Amor, docta referre Deum.
Ille valebat acu quiſquis tua licia duxit.
Dux Ariadneæ, vel decus artis erat.
O melius, ſi Chriſte meo te corde referrem:
EUCHARIS illecebris apta rapina ſumus.
Hac cape ſede locum: qui plus in pectore ponis,
Quid tibi cum lino? pectore fige pedem.
Vile quid hoc germen, quid cannabis illa meretur,
Ut gerat, ipſa carent, quo, mea membra, decus?

Læſu

a *Sancta Sindon quâ Chriſti ſacrum corpus involutum eſt in illa Chriſti imago remanſit, 27. Matt.*

Læſus ago repetundarum: veſtigia flammæ,
Quæ mihi ſic arſit, cur ſibi tela ferat?
Quæ mihi mandabat, lino commiſit amator,
Non niſi ut hærerent corde repoſta meo.
Sanguinis eſt noſtri conſors: id ſigna loquuntur;
Inſcribi paribus poſtulo jure notis.
Qui nobis ita Chriſte faves, animiſque propinquas,
Sint poſthac tabulæ pectora noſtra tuæ.

ELEGIA DUO-DECIMA.

Sanctorum Pauli & Antonii Eremicolarum Hiſtoria, ſacræ Synaxi ſervit.

NIl mihi cum pharetra, mollíque Cupidinis arcu;
Quæ peto ſpina dabit ſpicula, tela rubus.
Me nemus & ſpelæa vocant, pręiere ſodales,
Quos Amor in ſylvas, & loca tecta rapit.
Hoc duce carpit iter per opaca Antonius antra,
Errat & incertis per mala teſqua viis.
Cùm tandem Divo variis erroribus acto
Paulus adeſt; longi meta laboris erat.
Gaudet uterque ſenex: & preſſa morantur utrimque
Complexu caſtas, mutua colla, manus.
Cùm neuter comitem noſſet (mirabile dictu!)
Cuique ſuum alterno nomen ab ore venit.

Interea

Interea volitans ad penſa diurna miniſter
 Officiis acuit provida roſtra ſuis.
Corvus erat; de more rapax, at comis in unum:
 Luce ſuo quâvis liba miniſtrat hero.
Noverat iſte penu cuſtos loca ſolus, & horam
 Ferret ut in menſas pabula, Paule, tuas.
Præſagus velut ille boni, pernicibus alis
 Ocyus incœptum tunc peragebat iter.
At duplicata Ceres alas, & vota retardat:
 Et ſolito major ſarcina viſa fuit.
Omen erat felix: geminat cum pondere curſum:
 Lætus amat domino nuncius ore ſuo.
Exponunt tandem nigra roſtra volatile libum;
 Alaque, tum plauſus, munere functa dedit.
Aſpicit hic binos per inhoſpita tecta ſodales
 Ante niſi à noto non habitata ſene.
Quis neget aſſuetam de more dediſſe ſalutem:
 Χαῖρε novis credo congeminaſſe modis. [a]
Inde redux lætos linguâ crocitante triumphos
 Sive tibi Antoni, ſeu tibi, Paule, canit.
Ardet ad hæc Paulus ſpectacula: mentibus addant
 Cælicolæ noſtris quas jacit ille faces.
Quæ tua, mi Deus, eſt pietas! quàm cura tuorum
 Provida! quanta mihi gaudia, Chriſte, moves.
Nos JESU labor, Antoni, nos aſpicit æther,
 Res loquitur: doni lingua diſerta ſat eſt.
Bis duce ſena mihi fluxerunt luſtra ſub illo:
 Eſca fuit ſemper dimidiata Ceres.
Pérque tot in ſylvis annos quibus incola degi,
 Delata eſt omni quadra refecta die.

Totus

a *Alluditur ad Pſittacum Romanum. Corvus docile eſt animal vocesque æmulatur.*

Totus iö! modò panis adeſt, annonáque duplex.
  Hanc duce militibus ſufficiente ſuis.
O bone Dux! bone Chriſte! ſequi tua ſigna recuſem,
  Cùm tua ſervorum pectora tangat amor?
Excipit ore pari voces Antonius illas,
  Et celebrat feſtis, Numinis acta, modis.
At cœnæ vocat hora: piam quis dividet eſcam?
  Omina quis menſis, auſpiciúmque dabit?
Paulus honorandi jus aſſerit Hoſpitis eſſe:
  Jura ſed ætatis junior ille movet.
Et fuit hoc unum quod non convenerat illi.
  Dum pulchro virtus prælia marte gerit.
Par ubi ſic Divis utrimque modeſtia certat,
  Lis erat à ſolo jam dirimenda Deo.
Se manibus medium panis diſcriminat ipſe:
  Sectio non uſquam juſtior vlla fuit.!
Non procul inde ſalit nitidæ fons lucidus undæ,
  Et per ſaxa cadens garrula ludit aqua.
Huc vertere pedem: ſua terra ſedilia muſco
  Tecta dabat; dapibus functus uterque ſedet.
Quis nectar cœleſte canat, quod fudit in illa
  Liba Deus? quis mel, quod ſacra fixit Apis?
Dulcior ambroſiâ magni ſapit una datoris
  Dextera: nulla caret pondere mica ſuo
Si gelidam potent; ad aquas mens verſa perennes
  Evolat; hic melius depoſitura ſitim.
Roſque polo lapſus, qui cor demulcet, in ora
  Mox refluus, liquidas fontis adauget opes.
Cœtera quid memorem? grates poſt fercula reddunt,
  Unus in amborum cordibus ardet amor.
Non abit hic cum ſole calor; per frigora noctis
  Durat & optatis laudibus hora deeſt.

Muſa

Muſa pedes refer & citharam, te provocat eſca
Nobilior numeris emodulanda tuis.
Ne tamen hinc jejuna redi, nec vertice nudo
At ſatiata cibis, at redimita roſis.
Ut ſterili ſit gleba ſolo, nec amabilis herbæ;
Non tamen hæc omnis vepre rigeſcit humus.
Culta virent illic geminis viridaria palmis:
Nunc tibi ſignato tramite flecte pedem.
Aſpice quam Superis bene divus uterque precetur
Verba animo deſunt, deficit ore ſonus
Aſpice quanta ſacræ faciant præconia dextræ;
Parvaque quàm celebri munera laude colant.
Quàm potiora tuos invitant prandia cantus?
Quàm meliora polo fercula miſit Amor!
Non ea, Paule, tibi, nec amico detulit ales:
Cælituum veniunt è locuplete penu.
Plura petunt gemino condignis laudibus ora:
Laude minor, totus cantet ut orbis, erit.
Ipſe Deus vertens in ſe Cerealia dona
Agreſtes animos, & rude vulgus alit.
O amor! ô Divûm bonitas! obtingat JESU
Omnis honor meritis, & decus omne tuis.
Laudibus extollat quæ libat Fercula lingua;
Haud modicus nervis incidet inde calor.
Occupet os plenum tenerâ dulcedine, *Verbum*,
Dulcius Hybla, tuo nectare; Hymette, tuo.
Dulcius ambroſia & lotho: tibi, Paule miniſtrat
Ales; at Aligeros hæc juvat eſca choros.
Atque utinam quotquot ſublimior educat eſca,
Paule, tuis certent ignibus eſſe pares!

ELEGIA DECIMA-TERTIA.

Sacrarum opum theſauros Sacra Synaxis ſuppeditat ſub typo totidem virtutum, quot gemmarum.

LAudibus *Obededom* parcant extollere Vates,
  Et bona quę ſecũ *Fœderis Arca* tulit. *a*
At bene Muſa canat quâ gazâ Chriſtus & auro
  Hoſpitii cumulet tecta beata ſui.
Ille figuratur priſci ſub imagine ligni:
  Nec fugit agreſtes comis adire domos.
Quò ſe cumque feret bona confert plurima ſecum;
  Seu ſua ſigna Deus, ſeu peregrina gerat.
Fidus Amor fit ubique comes qui devehit Arcam:
  Nec vacuam ſuperis hanc ſinit eſſe bonis.
Te quoties ſacras Convictor ſiſtis ad aras,
  Fit tuus hoſpes Amans, fit tuus hoſpes Amor.
Seque licet menſis apponat Chriſtus edendum,
  Plus etiam menſis nobilis arca favet.
Arca cor ipſius eſt; cujus tibi clavis, Alumne,
  Tradita, quæque tuâ ſit reſeranda manu.

Ne

a *Habitavit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededum & omnem domum ejus*, 2. *Reg*. 6.

Ne tamen imprudens in primo limine pecces,
  Nec te decipiat vilis imago rei.
Ulterius pedibus, ſeu mentis lumine tende:
  Crede mihi fugiunt nobiliora diem.
Num ferro terram ante cavas quam promicet aurum?
  Num venit ex imo gemma legenda mari?
Cordis in iſtius latebras imosque receſſus
  Mergere; nec donis illud inane ſcies.
Viſcera theſauros ingentes illa recondunt:
  A quibus eſt crimen continuiſſe manum.
Hîc loca nactus Amor ſecretis artibus apta
  Ignibus effinxit mira metalla ſuis.
Mille ſequi venas auri, argentique licebit,
  Hîc lucri cupidus, quo teneatur, habet.
Mole cor exiguâ, tamen eſt virtutibus ingens:
  Nulla gravis tantas arca flagellat opes.
Ædibus hæc noſtris, & amico corde recepta,
  Ut bona carpamus, ſeque fruamur, amat.
Quiſquis es; inde cave vacuus, pauperque reverti,
  Sic miſer in mediis Tantalus aret aquis. *a*
Pactolum quiſquis, quiſquis rate findit Hydaſpem,
  Pactolo dives, dives Hydaſpe redit.
Et Cilicum meſſes, Arabumque Sabæaque dona
  Aſſolet ex illis advena ferre locis.
Nemo redibit inops à divite muneris Indo:
  Aut murex aliquas, aut ebur addet opes,
Túne velis ſolus, cùm res invitat, & omnis
  Copia, pauperiem non relevare tuam.
Non ageris præceps in pectus Amantis, & arcas?
  Non aperis totos in bona tanta ſinus.

Hîc

a *Quærit aquas in aquis, & poma fugaria captat Tantalus. Ovid.*

Hîc Tagus, hîc Ganges: nil æquore peccat in iſto
 Dextra rapax, inhians pectus, avarus amor.
Hinc adamanta refer; quem non labor edomat ullus;
 Ille fidem JESU, denotet ille tuam.
Inter hic incudes cor inexpugnabile letho
 Geſſit: in exemplum te ſine tale rapi.
Ex adamantis aquis ſubeat, quo vivis, amantem
 Fletibus indignas ſæpe rigaſſe genas.
Elicuere Sion fletus, & Lazarus iſtos,
 Ille figura tui Lazarus, illa Sion. *a*
Aſpice Berillum lucet qui rore pudico;
 Hic in corde magis, quàm ſit in aure lapis.
Pallentes ne ſperne onychas, rubeáſque ſmaragdos;
 Sanguinis ille ſacri eſt, funeris ille color.
Inde ſuo tacitè nos allicit igne pyropus:
 Ille lapis ſpeciem cordis amantis habet.
Scilicet ardentes Chriſti deſcribit amores:
 Eucharis eſt illo lucidus igne focus.
His cave te facibus ſubducere: myſticus eſto
 Annulus, innecti cui ſacra gemma velit.
Chryſolithi ſine fine micant: virtute relucet
 Innumera Chriſtus, quas bene cultor amet.
Fine brevi mitto quæ ſit mora longa referre;
 Omnis ibi virtus, omnis habetur onyx.
Nec tot in Eois baccas videt incola terris,
 Nec tot de patriis colligit Indus aquis.
Gemmeus eſt virtutis apex; eſt unio virtus:
 Hanc rogo præ reliquis inſere Dive, mihi?

ELE.

a *Sion pro Jeroſolyma. Chriſtus videns Civitatem flevit ſuper illam, Lucæ* 19. *flevit & in ſuſcitatione Lazari.*

ELEGIA DECIMA-QUARTA.

Mirabilis in amore, modeſtiáque, CHRISTI conſtantia, per Euchariſtiam innoteſcit.

NUlla fides Sorti: Fortuna volubilis errat.
Nec volucri conſtans eſt in amore fides:
Quam Vates ſapuit, puerum qui finxit amorem?
Quàm bene Apelleâ pingitur arte puer!
Ut pueri variat levis inconſtantia mores;
Sic vagus eſt animo, nec ſibi conſtat amor.
Quod pede non ſoleat, nec paſſu ſtare tenaci,
Par avibus, pennis carpere fertur iter.
Corde levi, multoque ſuis ventoſior alis,
Maternum ſuperat mobilitate mare. *a*
Diſpare fit ſtudio ſacri diſcrimen amoris;
Cui vitæ conſtans eſt ſine labe tenor.
Propoſiti manet ille tenax: huic unica vitæ
Regula, ſancitam non violare fidem.
Nate Deo, tuus hic amor eſt: poſt funera durat,
Durat, ut humanum conſtet in Orbe nihil.
Ille ſuas aliò neſcit traducere flammas,
Ille docet verè quid ſit amare Deus.

Rurſus

a *Venus è ſpuma maris nata eſſe dicitur.*

Rurſus adeſt, Cænæque memor, Scenæque ſupremæ,
Sæpe cibus templis, hoſtia ſæpe redit.
Rurſus amat dare colla ſuis etiam hoſtibus; inque
Clauſtra rapi, at cordis clauſtra patentis amat.
Non dedignatur quaſi victus cedere, & ultrò
Addere captivas in nova vincla manus.
Cúmque ſit in Dominum data rara licentia ſervo,
Plurimus in Dominum jus modò ſervus habet.
Sponte ſubit Cereris, cui ſe ſubjecit, amictum,
Spicea parva velut vincula ſponte ſubit.
Hîc Cereris dum ſigna manent remanebit amator:
Statque ſub his ſignis illabefacta fides.
Quam ſibimet dixit renuens infringere legem
Implicitus durat nexibus ipſe ſuis.
Non ibi ſolus agit: ſed in ipſa lucidus umbra
Virtutum radiat concomitante choro.
Primus amor noſtri, comes eſt; comes altera virtus,
Quæ ſolet immotum figere ſola pedem.
Hanc amat, hanc retinet: pluſquam latus occupat illa:
Quâ didicit fidâ præſide multa pati.
Hæc facit ut rerum variis eventibus idem
Permaneat ſtabili mente, fidéque pari.
Ut nec perſonas, nec tempora deligat apta,
Nec loca quæ ſacris commodiora videt.
Hinc neque deſignanda dies, neque temporis ordo
Quo ferat in terras ad data juſſa pedem.
Hic penes eſt Myſten delectus: qualibet horâ
Seu nocturna fluat, ſive diurna volet.
Per quaſvis etiam juvet ora ſequacia formas
Ducere, ſub formas quaſlibet ibit Amans.
Vixque per æſtatem tot ſe nux plurima ſylvis
Induit in flores, ſigna quot ille ſubit.

Nunc

Nunc Cereriſ latâ condit ſub imagine membra;
  Nunc velut in minimas contrahit illa notas.
Nec leve velamen parvæ indignatur ariſtæ;
  Nec ſpecie duci ſe potiore ſinit.
Vis auro micet ac gemmis? vis abdat inertem
  Arcula? ſors unâ diſſita lege placet.
Dummodo nos paſcat, Crœſus non diſtat ab Iro;
  Nam cupidum noſtri ſpes trahit una lucri. a
Dumque ſui nullam rationem ducit in ipſo,
  Dicere ſi fas eſt, Numine peccat Amor.
Namque fidem ut ſervet, ſibi fit contrarius ipſi;
  Dum quod amor ſuaſit, myſta profanat opus.
Hic quâvis ſit labe niger, tamen evocat aſtris
  Corpora Biſtoniâ candidiora nive.
Quod ſurgit duce conſilio, quod fine beato
  Clauditur, huic operi digna corona venit.
At res ille ſacras, quas finis honeſtet & uſus,
  Vertit in authoris damna, ſuamque necem.
Nec pudor eſt ipſum cælo deducere Numen,
  Mergat ut infami membra ſacrata luto.
Vile lutum ſcelus eſt; mentes quod & inquinat ipſas:
  Hinc labes toto non abolenda mari.
Vulnerat hoc oculos, & ſacri pectus amoris:
  Et nares violat qui gravis halat odor.
Huc tamen ibit Amans: vel ſic quoque diligit hoſtem:
  Non obluctatur, quò rapit ille, ſequi.
Nec cœno obruitur tali pius ipſius ardor:
  Nec perit accenſæ lux hebetata facis.
Quem non inflammet conſtans facis iſtius ignis?
  Ecquem non adeo vivida flamma rapit?
Sic age tu: ſi juncta ſacro tua fœdere dextra eſt,
  Tot numeret fidei quot tua vita dies.

a *Crœſus pro ditiſſimo, Irus pro pauperrimo ponitur.*

Si memores ſervent à te data nomina ceræ,
Fac Sacramenti ſint rata verba tui.
Ne per inæquales animi conſtantia caſus
Fluctuet: at mediis fax tua vivat aquis.
Alta tene: ſupraque tuas exurge ruinas:
Nec ſis ludibrium ſtantis in orbe Deæ. *a*
Aut ſolum cupidi detur tibi nomen amantis;
Aut animo affigas: in ſtatione mori.

ELEGIA DECIMA-QUINTA.

Omnes Amicorum tam veros, quàm fabuloſos amores, CHRISTI amor in Euchariſtia tranſcendit.

PRiſca fide junctis faviſſe Sodalibus ætas
Fertur; & illorum geſta notaſſe cedro.
Cantat amicitiæ Naſo *venerabile nomen:*
Fit pariter titulis inclyta, Marce, tuis. *b*
Ipſa ſui ſi ſit pretium, nec emantur amores;
Hoc demum eſt virtus, eſt in amore decor.
Et colimus pecudes, & opertos gramine campos:
Detrahe ſpem lucri; quid, quod amemus, erit?
Solus amicitiæ guſtus bona gratia: ſolus
Sufficit ille ſibi fructus amoris amor.

Purior

a *Dea in orbe ſtans eſt Fortuna: ita fingi, pingique ſolet.*
b *Marcus Tullius Cicero de amicitia.*

Purior hic ſenſus ſub amico vivit JESU
  Pectore; non aliis carpitur ille focis,
Si ſperet quandoque meos, aut provocet ignes,
  Quâ trahitur, ſpes eſt illa lucroſa mihi.
Quid Faſti memorãt, quid tot monumenta loquuntur
  Charorum alternâ pectora læſa face?
Dimicet hac pugna JESUS; eat unus in omnes:
  Victus ab arte ſua deſtituetur Amor.
Arſerit inſanum Juvenis Phocæus Oreſtem:
  Edomuit furias ſæpius ille meas. *a*
Geſſerunt fateor pulchri certamen amoris:
  Vivat ut alteruter, pugnat uterque mori.
Se Pylades ſontem, ſontem ſe clamat Oreſtes:
  Nec fuit ambiguo lis dirimenda foro.
Et bene Rex Siculus comitem ſe talibus addat,
  Damoni & Pythiæ qui cupit eſſe comes. *b*
Aſt hic pro Natis Genitor, pro ſontibus inſons
  Pro grege Rex, hominum Chriſtus amore cadit:
Plura cano: Deus ille cadens nos eximit atro
  Funere; devotos faucibus, Orce, tuis.
Plura cano: letho ipſe datus, poſt fata ſuperſtes
  Reſtat in humani pabula læta gregis.
Tyndaridas laudo: *Fratrum* quia *gratia rara* eſt:
  His partita ſalus integra corda notat.
Sed quæ fraterno dat munera Chriſtus amori,
  Sunt necis expertes appoſitura dies.

a *Lege hiſtoriam apud Ovid. l. 4. Eleg. 4.*
b *Illis mori pro ſe invicem paratis ſe amicum 3. obtulit Dyoniſius Tyrannus. Cic. de Officiis.*
c *Filii Tyndari, fratres Helenæ Caſtor & Pollux. Hic immortalitatem ſibi à Jove conceſſam diviſit cum fratre. Hinc ſtellæ ſunt quarum una* [illegible]*, altera* [illegible]

Neſciet occaſum vitæ qui nobile libum,
Qui ſacra divini fercula cordis edet.
Pirithoo Theſeus comitem ſe jungat ad Orcum:
Hæc ſtyga ne tangam tutius eſca facit.
Sit comes Euryalum caſus complexus in omnes;
Suſtinuit caſus iſta columna meos.
Arcta fides animos ſociârit, corpora lethum;
Sed neuter ſocio ſubvenit; ambo cadunt.
At vivo nece Chriſte, tuâ, te perſto cadente:
Et caſu fulta eſt noſtra ruina tuo.
Me, me, adſum! exclamat: ſervo, Pater optime, parce!
Sanguine diſſolvi nomina: parce Pater!
Quamque rogat veniam, menſis exorat amicis;
Sive reis lytrum, ſive medela fami.
Actoridæ funus fortem ſtimulavit Achillem;
Qui necis inferias Hectora ſtravit humo. *a*
Cladis & humanæ vindex exarſit JESUS:
Sunt & in authoris tela retorta caput.
Si cantem Atridas animis ut ſanguine junctos;
Arctior eſt nodus, diva Synaxi, tuus. *b*
Ardet Jülus Atyn? nec Atys minus ardet Jülum?
Eſt inter pueros, frugis inanis amor; *c*
At Chriſtus ſuperæ theſauros explicat arcæ,
Ipſius & ſenſum res data dantis habet.
Et quamvis facili Majeſtas pugnet amori,
Nobiſcum ſociat gaudia, fœdus init.
Tu quoque capte tui, Jonatha, Davidis amore
Collatus Chriſto lentus amator eris. *d*

Denique

a *Filius Actoris Actorides, Patroclus. v. Ovid. l. 1. eleg. 8.*
b *Atrides filii Atrei Menelaus & Agamemnon amiciſſim.*
c *Parvus Atys, puerque puer dilectus Julo.*
d *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David. 2 Reg. 18.*

Denique ſit glacies, amor omnis ad illius ignes,
  Qui nos muneribus demeruiſſe poteſt.
Illum corda gerant; cujus populata medullas
  Flamma, fibris hominum non niſi lenta calet.
Illum Fama mori prohibe quo vivimus: illum
  Lingua canat qui *tot laudibus ora replet*.

ELEGIA DECIMA-SEXTA.

Pii quidam affectus ad ſacram Hoſtiam ſub colore albo, formaq́; rotunda.

LUx mea candidulo dum ſic te obnubis amictu
  Clarius elucet cordis imago tui.
Et micat in flammis, & in acri candor amore;
  Et tuus eſt ignis candor, & ignis amor.
Te color ille decet; qui ſyrmate lucidus albo
  Per Solymæ longum compita carpis iter.
Non putat Herodes tibi ſe prodeſſe nocendo
  Dum tua candenti corpora veſte tegit.
Nolit; at invitus clarâ ratione fatetur.
  Criminis & quàm ſis purus, & ille reus.

Damnabat ſontes atro gens priſca lapillo:
Quique reum noxâ ſolveret, albus erat.
Te color hic *Agnum* (fers Agni nomina) ſignat
Et candor nivibus convenit ille tuis. a
O nove *S*ol! ubi te miles raptatque, premitque
Per nebulas flammâ lucidiore nites.
Nil tuus à cœno radius deperdit honoris:
*S*ic roſa cum ſpina ſemper odora manet.
Nunc alio cultu faciles te fingis ad uſus:
*S*cenicus an ſit amor neſcio; ludit amor.
Ille tibi veſtes hodie quaſi comicus aptat;
Cùm Cereris nomen, veraque ſigna geris.
Comis ubique quidem es; ſed in hoc urbanior actu
Quo te perfruitur ruſtica turba dape.
Infantis de more iterum te parvula velat
Faſcia; dum ſcenæ nos rapis arte novæ.
Ludit amor, latet in ſpica: levis emicat eſca:
Hoc tamen in luſu grande movetur opus.
Parvulus eſt, ſed cùm fines excedit amoris:
Sic alit ingentem ſæpe favilla focum.
Vultibus obductis illudere geſtit amico;
Et per cancellos diſſimulare quod eſt.
Candidulâ cooperte togâ ſic fallis amantem?
Lynx ero; non falles: perſpicere mihi.
*S*it velata fides, viſu tamen abdita luſtrat,
Hac duce quo nequeunt lynx, aquilæque ferar.
Hæc in operta ferar: venies & fratris in ulnas,
Exceptumque premam corde, premamque ſinu.
Quot Charites albedo tegit! quæ proxima fronti
Diſſimulat nictus, pulcher ocelle tuos.
O Candor vicine Deo! fers unus honorem
Quo nix, quove carent lilia, quove roſæ.

Quiſquis

a *Ecce Agnus Dei, &c. Joan.* 1.

Quiſquis Apelleâ pictas color arte tabellas
Imbuit, hîc premitur, pallidulusque latet.
Iſta meum celans nubes argentea Solem
Luce Thaboræa plus quoque lucis habet. *a*
Illa ſibi tendit conopea divus amator
Dum calet: hæc animi temperat umbra facem
Sola quot illecebris felix albedo propinquas!
Sors optanda tua eſt, invidiamque movet.
Sic utinam præſens ſacratis oribus adſim!
Aut animis adſint ora ſacrata meis.
Lux mea! nos, rogo te, ſimilis vicinia jungat!
Mutua nos teneant vincula, fœdus idem.
Teque figura canam; quam ſic adamavit JESUS;
Cujus ad ingenium forma rotunda facit.
Plus hic orbiculus complectitur orbe; capitque,
Quæ nec milleno clauſeris orbe, bona.
Et Cœli, & Solis radiantes mitto figuras;
Forma mihi Cœlum eſt ſpicea; Numen habet:
Sim Juvenis Pellæus; & iſte ſat orbis amori
Unicus, & pro quo bella gerantur, erit. *b*
Utilis ille rei fœcundus, ut alter inanis:
Orbicule! in cordis voluere plana mei.
Da veniam; te ferre volo, volo corde locare:
Ipſe vel in formam verſus abire tuam.
Portem? Atlantæis etiam ſim viribus impar
Si ſedeat ſolito Jupiter iſte throno.
Malit io potius ſacer ille Cupido, Faberque
Parva ſibi noſtrâ condere tecta caſâ.

Eſt

a *In transfiguratione facta in monte Thabor reſplenduit. Matth.* 17.

b *Alexander magnus à Pella civitate Macedoniæ unde oriundus De illo Juven. ſatyr.* 1, *Unus Pellæo Juveni non ſufficit orbis.*

Eſt quoque cur noſtri teneatur cordis amore;
  Exprimit artifices cujus imago manus.
Ceu Trias eſt author, Triadis manet æmula forma;
  Quò foret apta tuæ, Chriſte, figura moræ.
Ergo ſub orbiculis humano illabere cordi:
  Hîc latitare velis, hîc habitare juvet.

JUCUNDI
SACRÆ SYNAXEOS
AMORES,
SIVE
CHRISTUS IN EUCHARISTIA
SUMMOPERE
AMANS ET AMABILIS.

LIBER TERTIUS.

ELEGIA PRIMA.

Neceſſaria Sacram Synaxim utiliter ſumenti animi diſpoſitio.

CUlta ſui votis reſpondet terra Coloni
  Gaudia Cuſtodi culta juventa dabit.
Si Cuſtos gravis eſt, levior ſit ſarcina parvus,
  Qui facili mores inſtruit arte, liber.
Ille modum, & certos rebus docet addere fines;
  Quos ultra ratio tendere honeſta vetat.

Ad ſpeculi vitrum labes detergitur ore,
  Sed nævos animi diluet ille tui.
Quid menſæ, quid templa petant, quid gratia formæ
  Indicat; in verbis quæque cavenda tuis.
Omnia diſtringit morum contagia cenſor:
  Acta verecundo digna rubore notat.
Hic demum vitæ rector, ſeu regula codex
  Te præit: & recti tramite ſignat iter.
Cuſtodis pariter vice fungimur: optat Alumnos
  Noſtra ſuos fidâ ducere Muſa manu.
Qui documenta leget, parvo quoque credita libro,
  Is referet parvas in lucra magna notas.
Cœleſtes epulas ipſo duce cultus inibit:
  Hic meritò doctâ quæritur arte decor.
Aſpice quot curis Regum convivia ſudent:
  Ad ſtudium ritus exige tale tuos.
Quàmque prius Superûm menſis accumbere tentes,
  Ad mentem revoca quo levis ire paras.
EUCHARIS eſt: quanto illa rei pretioſa paratu!
  Emicat in primis gratia blanda ſonis. *a*
Allicit illa tuam; ſe mens ut honoribus aptet:
  Iſta præcipuè parte colenda venit.
Quem teneas deſcribo modum: tibi noſtra laborat
  Muſa; ſed & carmen dux modulatur Amor.
Veſte caves lacerâ ſub Principis ora venire:
  Hìc etiam cordi ſit tibi veſtis honos.
Nonne ſacris adiens convivia debita tædis
  Luce nites cultæ verſicolore togæ?
Arte laboratam cura eſt tunc ſumere veſtem?
  Tu tibi par, ſenſus, fac imitere tuos.
Mentis in ornatu ſimilis te cura laceſſat:
  Et menti forma eſt, & cupit arte coli.

Nobile

a *Eucharis, uti dictum eſt alibi, latinè bona gratia.*

Nobile texat Amor, quod pectus veſtiat, oſtrum
Hæc tibi ſi deſit purpura, nudus eris
Nudus eris: quò tu? violas Hymeneïa feſta;
Rex ait, ulciſcar connubiale decus.
Te quis in illa nefas! admiſit tecta carentem
Excultis tunicâ conveniente locis? *a*
Proripe te procul hinc: preſſit veſtigia lictor,
Et pede non claudo Pœna ſecuta ſcelus.
Ne ſis ſupplicii ſocius, cave criminis eſſe:
Securas faciunt viſa pericla vias.
Dic age, num ſignari oculis horreſcis amictu
Sub lacero? num quis pectora tangit honos?
Annuis. Hoc monitum cauſâ meliore valebit,
Fulgeat ut cultu pars tibi prima ſuo.
Terge prius maculas, fletu prius ablue nævos;
Nam petit hoc ritu Myſticus agnus edi. *b*
Qui peragenda docet, nobis præit author JESUS:
Primus Apoſtolico ſub pede duxit aquas.
Imperio Petrum, votis obſtabat, adegit:
Nil tibi ſit mecum, ſis niſi lotus, ait. *c*
Ergo tibi ne vile putes abſtergere ſordes;
Non bene cum corvo fœdera jungit olor.
Si ſpeculi fuſcet levis oris anhelitus æquor.
Omne ſcelus ſentit, qui videt omne, Deus.

Ut

a *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem, Matt. 22.*

b *Figura Sacræ Communionis, legalis agnus cum lactucis agreſtibus edebatur.*

c *Domine tu mihi lavas pedes? &c. Non lavabis mihi pedes in æternum. Si non lavero te, non habebis partem mecum, &c. Joann. 13.*

Rurſus adeſt, Cænæque memor, Scenæque ſupremæ,
Sæpe cibus templis, hoſtia ſæpe redit.
Rurſus amat dare colla ſuis etiam hoſtibus; inque
Clauſtra rapi, at cordis clauſtra patentis amat.
Non dedignatur quaſi victus cedere, & ultrò
Addere captivas in nova vincla manus.
Cúmque ſit in Dominum data rara licentia ſervo,
Plurimus in Dominum jus modò ſervus habet.
Sponte ſubit Cereris, cui ſe ſubjecit, amictum,
Spicea parva velut vincula ſponte ſubit.
Hîc Cereris dum ſigna manent remanebit amator:
Statque ſub his ſignis illabefacta fides.
Quam ſibimet dixit renuens infringere legem
Implicitus durat nexibus ipſe ſuis.
Non ibi ſolus agit: ſed in ipſa lucidus umbra
Virtutum radiat concomitante choro.
Primus amor noſtri, comes eſt; comes altera virtus,
Quæ ſolet immotum figere ſola pedem.
Hanc amat, hanc retinet: pluſquam latus occupat illa;
Quâ didicit fidâ præſide multa pati.
Hæc facit ut rerum variis eventibus idem
Permaneat ſtabili mente, fidéque pari.
Ut nec perſonas, nec tempora deligat apta,
Nec loca quæ ſacris commodiora videt.
Hinc neque deſignanda dies, neque temporis ordo
Quo ferat in terras ad data juſſa pedem.
Hic penes eſt Myſten delectus: qualibet horâ
Seu nocturna fluat, ſive dîurna volet.
Per quaſvis etiam juvet ora ſequacia formas
Ducere, ſub formas quaſlibet ibit Amans.
Vixque per æſtatem tot ſe nux plurima ſylvis
Induit in flores, ſigna quot ille ſubit.

Nunc

Nunc Cereris latâ condit ſub imagine membra;
Nunc velut in minimas contrahit illa notas.
Nec leve velamen parvæ indignatur ariſtæ;
Nec ſpecie duci ſe potiore ſinit.
Vis auro micet ac gemmis? vis abdat inertem
Arcula? ſors unâ diſſita lege placet.
Dummodo nos paſcat, Crœſus non diſtat ab Iro; a
Nam cupidum noſtri ſpes trahit una lucri.
Dumque ſui nullam rationem ducit in ipſo,
Dicere ſi fas eſt, Numine peccat Amor.
Namque fidem ut ſervet, ſibi ſit contrarius ipſi;
Dum quod amor ſuaſit, myſta profanat opus.
Hic quâvis ſit labe niger, tamen evocat aſtris
Corpora Biſtoniâ candidiora nive.
Quod ſurgit duce conſilio, quod fine beato
Clauditur, huic operi digna corona venit.
At res ille ſacras, quas finis honeſtet & uſus,
Vertit in authoris damna, ſuamque necem.
Nec pudor eſt ipſum cælo deducere Numen,
Mergat ut infami membra ſacrata luto.
Vile lutum ſcelus eſt; mentes quod & inquinat ipſas:
Hinc labes toto non abolenda mari.
Vulnerat hoc oculos, & ſacri pectus amoris:
Et nares violat qui gravis halat odor.
Huc tamen ibit Amans: vel ſic quoque diligit hoſtem:
Non obluctatur, quò rapit ille, ſequi.
Nec cœno obruitur tali pius ipſius ardor:
Nec perit accenſæ lux hebetata facis.
Quem non inflammet conſtans facis iſtius ignis?
Ecquem non adeo vivida flamma rapit?
Sic age tu: ſi juncta ſacro tua fœdere dextra eſt,
Tot numeret fidei quot tua vita dies.

a *Crœſus pro ditiſſimo, Irus pro pauperrimo ponitur.*

Si memores ſervent à te data nomina ceræ,
 Fac Sacramenti ſint rata verba tui.
Ne per inæquales animi conſtantia caſus
 Fluctuet : at mediis fax tua vivat aquis.
Alta tene : ſupraq́ue tuas exurge ruinas :
 Nec ſis ludibrium ſtantis in orbe Deæ. *a*
Aut ſolum cupidi detur tibi nomen amantis;
 Aut animo affigas : in ſtatione mori.

ELEGIA DECIMA-QUINTA.

Omnes Amicorum tam veros, quàm fabuloſos amores, CHRISTI amor in Euchariſtia tranſcendit.

PRiſca fide junctis faviſſe Sodalibus ætas
 Fertur;& illorum geſta notaſſe cedro.
Cantat amicitiæ Naſo *venerabile nomen:*
 Fit pariter titulis inclyta, Marce, tuis. *b*
Ipſa ſui ſi ſit pretium, nec emantur amores;
 Hoc demum eſt virtus, eſt in amore decor.
Et colimus pecudes, & opertos gramine campos :
 Detrahe ſpem lucri; quid, quod amemus, erit?
Solus amicitiæ guſtus bona gratia : ſolus
 Sufficit ille ſibi fructus amoris amor.

Purior

a *Dea in orbe ſtans eſt Fortuna: ita fingi, pingiq́ue ſolet.*
b *Marcus Tullius Cicero de amicitia.*

Purior hic ſenſus ſub amico vivit JESU
  Pectore; non aliis carpitur ille focis,
Si ſperet quandoque meos, aut provocet ignes,
  Quâ trahitur, ſpes eſt illa lucroſa mihi.
Quid Faſti memorãr, quid tot monumenta loquuntur
  Charorum alternâ pectora læſa face?
Dimicet hac pugna JESUS; eat unus in omnes:
  Victus ab arte ſua deſtituetur Amor.
Arſerit inſanum Juvenis Phocæus Oreſtem:
  Edomuit furias ſæpius ille meas. *a*
Geſſerunt fateor pulchri certamen amoris:
  Vivat ut alteruter, pugnat uterque mori.
Se Pylades ſontem, ſontem ſe clamat Oreſtes:
  Nec fuit ambiguo lis dirimenda foro.
Et bene Rex Siculus comitem ſe talibus addat,
  Damoni & Pythiæ qui cupit eſſe comes. *b*
Aſt hic pro Natis Genitor, pro ſontibus inſons
  Pro grege Rex, hominum Chriſtus amore cadit.
Plura cano: Deus ille cadens nos eximit atro
  Funere; devotos faucibus, Orce, tuis.
Plura cano: letho ipſe datus, poſt fata ſuperſtes
  Reſtat in humani pabula læta gregis.
Tyndaridas laudo: *Fratrum* quia *gratia rara* eſt:
  His partita ſalus integra corda notat.
Sed quæ fraterno dat munera Chriſtus amori,
  Sunt necis expertes appoſitura dies.

G 2 Neſciet

a *Lege hiſtoriam apud Ovid. l. 4. Eleg. 4.*
b *Illis mori pro ſe invicem paratis ſe amicum 3. obtulit Dyoniſius Tyrannus. Cic. de Officiis.*
c *Filii Tyndari, fratres Helenæ Caſtor & Pollux. Hic immortalitatem ſibi à Jove conceſſam diviſit cum fratre. Hinc ſtellæ ſunt quarum una* [illegible]

Neſciet occaſum vitæ qui nobile libum,
  Qui ſacra divini fercula cordis edet.
Pirithoo Theſeus comitem ſe jungat ad Orcum:
  Hæc ſtyga ne tangam tutius eſca facit.
Sit comes Euryalum caſus complexus in omnes;
  Suſtinuit caſus iſta columna meos.
Arcta fides animos ſociârit, corpora lethum;
  Sed neuter ſocio ſubvenit; ambo cadunt.
At vivo nece Chriſte, tuâ, te perſto cadente:
  Et caſu fulta eſt noſtra ruina tuo.
Me, me, adſum! exclamat: ſervo, Pater optime, parce!
  Sanguine diſſolvi nomina: parce Pater!
Quamque rogat veniam, menſis exorat amicis;
  Sive reis lytrum, ſive medela fami.
Actoridæ funus fortem ſtimulavit Achillem;
  Qui necis inferias Hectora ſtravit humo. a
Cladis & humanæ vindex exarſit JESUS:
  Sunt & in authoris tela retorta caput.
Si cantem Atridas animis ut ſanguine junctos;
  Arctior eſt nodus, diva Synaxi, tuus. b
Ardet Jülus Atyn? nec Atys minus ardet Jülum?
  Eſt inter pueros, frugis inanis amor; c
At Chriſtus ſuperæ theſauros explicat arcæ,
  Ipſius & ſenſum res data dantis habet.
Et quamvis facili Majeſtas pugnet amori,
  Nobiſcum ſociat gaudia, fœdus init.
Tu quoque capte tui, Jonatha, Davidis amore
  Collatus Chriſto lentus amator eris. d

Denique

a *Filius Actoris Actorides, Patroclus. v. Ovid. l. 1. eleg. 8.*
b *Atrides filii Atrei Menelaus & Agamemnon amiciſſimi.*
c *Parvus Atys, puerque puer dilectus Julo.*
d *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David. 2. Reg. 18.*

Denique ſit glacies, amor omnis ad illius ignes,
Qui nos muneribus demeruiſſe poteſt.
Illum corda gerant; cujus populata medullas
Flammâ, fibris hominum non niſi lenta calet.
Illum Fama mori prohibe quo vivimus : illum
Lingua canat qui *tot laudibus ora replet.*

ELEGIA DECIMA-SEXTA.

Pii quidam affectus ad ſacram Hoſtiam ſub colore albo, formaq́; rotunda.

LUx mea candidulo dum ſic te obnubis amictu
Clarius elucet cordis imago tui.
Et micat in flammis, & in acri candor amore;
Et tuus eſt ignis candor, & ignis amor.
Te color ille decet; qui ſyrmate lucidus albo
Per Solymæ longum compita carpis iter.
Non putat Herodes tibi ſe prodeſſe nocendo
Dum tua candenti corpora veſte tegit.
Nolit; at invitus clarâ ratione fatetur.
Criminis & quàm ſis purus, & ille reus.

Damnabat ſontes atro gens priſca lapillo:
Quique reum noxâ ſolveret, albus erat.
Te color hic *Agnum* (fers Agni nomina) ſignat
Et candor nivibus convenit ille tuis. *a*
O nove *S*ol! ubi te miles raptatque, premitque
Per nebulas flammâ lucidiore nites.
Nil tuus à cœno radius deperdit honoris:
*S*ic roſa cum ſpina ſemper odora manet.
Nunc alio cultu faciles te fingis ad uſus:
*S*cenicus an ſit amor neſcio; ludit amor.
Ille tibi veſtes hodie quaſi comicus aptat;
Cùm Cereris nomen, veraque ſigna geris.
Comis ubique quidem es; ſed in hoc urbanior actu
Quo te perfruitur ruſtica turba dape.
Infantis de more iterum te parvula velat
Faſcia; dum ſcenæ nos rapis arte novæ.
Ludit amor, latet in ſpica: levis emicat eſca:
Hoc tamen in luſu grande movetur opus.
Parvulus eſt, ſed cùm fines excedit amoris:
Sic alit ingentem ſæpe favilla focum.
Vultibus obductis illudere geſtit amico;
Et per cancellos diſſimulare quod eſt.
Candidulâ cooperte togâ ſic fallis amantem?
Lynx ero; non falles: perſpicere mihi.
*S*it velata fides, viſu tamen abdita luſtrat,
Hac duce quo nequeunt lynx, aquilæque ferar.
Hæc in operta ferar: venies & fratris in ulnas,
Exceptumque premam corde, premamque ſinu.
Quot Charites albedo tegit! quæ proxima fronti
Diſſimulat nictus, pulcher ocelle tuos.
O Candor vicine Deo! fers unus honorem
Quo nix, quove carent lilia, quove roſæ.

Quiſquis

a Ecce Agnus Dei, &c. Joan. 1.

Quiſquis Apelleâ pictas color arte tabellas
  Imbuit, hîc premitur, pallidulusque latet.
Iſta meum celans nubes argentea Solem
  Luce Thaboræa plus quoque lucis habet. *a*
Illa ſibi tendit conopea divus amator
  Dum calet: hæc animi temperat umbra facem
Sola quot illecebris felix albedo propinquas!
  Sors optanda tua eſt, invidiamque movet.
Sic utinam præſens ſacratis oribus adſim!
  Aut animis adſint ora ſacrata meis.
Lux mea! nos, rogo te, ſimilis vicinia jungat!
  Mutua nos teneant vincula, fœdus idem.
Teque figura canam; quam ſic adamavit JESUS;
  Cujus ad ingenium forma rotunda facit.
Plus hic orbiculus complectitur orbe; capitque,
  Quæ nec milleno clauſeris orbe, bona.
Et Cœli, & Solis radiantes mitto figuras;
  Forma mihi Cœlum eſt ſpicea; Numen habet:
Sim Juvenis Pellæus; & iſte ſat orbis amori
  Unicus, & pro quo bella gerantur, erit. *b*
Utilis ille rei fœcundus, ut alter inanis:
  Orbicule! in cordis voluere plana mei.
Da veniam; te ferre volo, volo corde locare:
  Ipſe vel in formam verſus abire tuam.
Portem? Atlantæis etiam ſim viribus impar
  Si ſedeat ſolito Jupiter iſte throno.
Malit io potius ſacer ille Cupido, Faberque
  Parva ſibi noſtrâ condere tecta caſâ,

Eſt

a *In transfiguratione facta in monte Thabor reſplenduit. Matth.* 17.

b *Alexander magnus à Pella civitate Macedoniæ unde oriundus. De illo Juven. ſatyr.* 1, *Unus Pellæo Juveni non ſufficit orbis.*

Eſt quoque cur noſtri teneatur cordis amore;
  Exprimit artifices cujus imago manus.
Ceu Trias eſt author, Triadis manet æmula forma;
  Quò foret apta tuæ, Chriſte, figura moræ.
Ergo ſub orbiculis humano illabere cordi:
  Hîc latitare velis, hîc habitare juvet.

JUCUNDI SACRÆ SYNAXEOS AMORES,

SIVE

CHRISTUS IN EUCHARISTIA

SUMMOPERE

AMANS ET AMABILIS.

LIBER TERTIUS.

ELEGIA PRIMA.

Neceſſaria Sacram Synaxim utiliter ſumenti animi diſpoſitio.

Culta ſui votis reſpondet terra Coloni
   Gaudia Cuſtodi culta juventa dabit.
Si Cuſtos gravis eſt, levior ſit ſarcina parvus,
   Qui facili mores inſtruit arte, liber.
Ille modum, & certos rebus docet addere fines;
   Quos ultra ratio tendere honeſta vetat.

Ad ſpeculi vitrum labes detergitur ore,
Sed nævos animi diluet ille tui.
Quid menſæ, quid templa petant, quid gratia formæ
Indicat; in verbis quæque cavenda tuis.
Omnia diſtringit morum contagia cenſor:
Acta verecundo digna rubore notat.
Hic demum vitæ rector, ſeu regula codex
Te præit: & recti tramite ſignat iter.
Cuſtodis pariter vice fungimur: optat Alumnos
Noſtra ſuos fidâ ducere Muſa manu.
Qui documenta leget, parvo quoque credita libro,
Is referet parvas in lucra magna notas.
Cœleſtes epulas ipſo duce cultus inibit:
Hic meritò doctâ quæritur arte decor.
Aſpice quot curis Regum convivia ſudent:
Ad ſtudium ritus exige tale tuos.
Quàmque prius Superûm menſis accumbere tentes,
Ad mentem revoca quo levis ire paras.
Eucharis eſt: quanto illa rei pretioſa paratu!
Emicat in primis gratia blanda ſonis. *a*
Allicit illa tuam; ſe mens ut honoribus aptet:
Iſta præcipuè parte colenda venit.
Quem teneas deſcribo modum: tibi noſtra laborat
Muſa; ſed & carmen dux modulatur Amor.
Veſte caves lacerâ ſub Principis ora venire:
Hìc etiam cordi ſit tibi veſtis honos.
Nonne ſacris adiens convivia debita tædis
Luce nites cultæ verſicolore togæ?
Arte laboratam cura eſt tunc ſumere veſtem?
Tu tibi par, ſenſus, fac imitere tuos.
Mentis in ornatu ſimilis te cura laceſſat:
Et menti forma eſt, & cupit arte coli.

Nobile

a *Eucharis, uti dictum eſt alibi, latinè bona gratia.*

Nobile texat Amor, quod pectus veſtiat, oſtrum
  Hæc tibi ſi deſit purpura, nudus eris
Nudus eris: quò tu? violas Hymeneïa feſta,
  Rex ait, ulciſcar connubiale decus.
Te quis in illa nefas! admiſit tecta carentem
  Excultis tunicâ conveniente locis? *a*
Proripe te procul hinc: preſſit veſtigia lictor,
  Et pede non claudo Pœna ſecuta ſcelus.
Ne ſis ſupplicii ſocius, cave criminis eſſe:
  Securas faciunt viſa pericla vias.
Dic age, num ſignari oculis horreſcis amictu
  Sub lacero? num quis pectora tangit honos?
Annuis. Hoc monitum cauſâ meliore valebit,
  Fulgeat ut cultu pars tibi prima ſuo.
Terge prius maculas, fletu prius ablue nævos:
  Nam petit hoc ritu Myſticus agnus edi. *b*
Qui peragenda docet, nobis præit author JESUS:
  Primus Apoſtolico ſub pede duxit aquas.
Imperio Petrum, votis obſtabat, adegit:
  Nil tibi ſit mecum, ſis niſi lotus, ait. *c*
Ergo tibi ne vile putes abſtergere ſordes;
  Non bene cum corvo fœdera jungit olor.
Si ſpeculi fuſcet levis oris anhelitus æquor.
  Omne ſcelus ſentit, qui videt omne, Deus.

Ut

a *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem, Matt. 22.*

b *Figura Sacræ Communionis, legalis agnus cum lactucis agreſtibus edebatur.*

c *Domine tu mihi lavas pedes? &c. Non lavabis mihi pedes in æternum. Si non lavero te, non habebis partem mecum, &c. Joann. 13.*

Ut tamen ornatus maculas exegeris hoſtes;
Quid modo ſi cultæ gratia mentis abeſt?
Eſt aliquid ſi vitra vacent cryſtallina fæce,
In quibus optato proluis ora mero.
Inſuper accedit glacialis cura nitoris:
Et crateris honos in data vina redit.
Sitque parum phialis, in quas fragrantia mittas
Balſama, ſi fœtens evacuetur odor.
Sedibus ante paras olei ſublimis honores;
Et vitrum injectis ante caleſcit aquis.
Quid quòd & adveniens titulis illuſtribus Heros
Ad meriti leges hoſpita tecta ferat?
Eſſe putas minimum purgatis lancibus uti,
Aut aſarota domus expoliiſſe tuæ.
At patinæ lucent; cibus accipit unde decorem,
Ac redolent ſparſæ per loca cuncta roſæ.
Tu quoque corda geras memoratis æmula rebus:
Hoſpitis illud amat corda petentis honos.

ELEGIA SECUNDA.

Quid ab ipſa ſtatim ſacra Communione ſit agendum.

NUmen adeſt: cantus numeros, cultusque decori
Muſa tuos imple, dulcis Alumne tuos.
Ante modum docui quo mens eat obvia Chriſto, (colat.
Jam cano præſentem quâ bene lege

Prima

Prima Fides quâ ſtrata via eſt, deducat Amantem :
  Hoc teneat laxas adveniente fores.
Nobilis exuvias animæ, Numenque ſupremum
  Faſſa ſub exiguis velle latere notis.
Proxima ſe ſiſtat placido reverentia vultu,
  Pronaque ſubmiſſo poplite tangat humum.
Ne pigeat parvo ſubmittere colla Tonanti,
  Vilia quantumvis, nec ſua ſigna gerat.
Illius ad cunas in vili ſtramine nati,
  Succiduo Reges procubuêre genu.
Nec triſtis rerum facies, nec Matris egeſtás,
  Nec luteæ cultus imminuêre caſæ.
Ille Deus meritò majori laude feratur,
  Non hominis formam, ſed modò panis habet.
Tantus amor non eſt modico tibi fine colendus:
  Hæc in nos pietas limite penè caret.
Redde vicem meritis; nec ſit tibi finis in illo
  Qui nullum in noſtri ponit amore modum.
Ut ſua vota Fides animoſo fuderit ore,
  Virtutum ſociet cætera turba choros.
Currat in amplexus Charis omnis, in oſcula currat:
  Et properent lætâ fingere voce melos.
Ut promant meritas feſtivo pectore laudes,
  Tot poſſit meritis reddere nulla vicem.
At Deus officiis levibus dignatur adeſſe,
  Seque ſinit minimo thuris honore capi.
Gratia major erit, ſi te fateare minorem;
  Et dare quæ meruit non opis eſſe tuæ.
Plura referre voles? alienis utere curis:
  In tua cœlicolas vota vocare juvet.
Indigetes ora ſocios in amoribus illis,
  Mille velut citharas, mille movere lyras.

Nomine

Nomine quiſque tuo, Chriſto perſolvet honores,
Quisque tuo grates nomine Divus aget.
Implora Genios aulæ cœleſtis Ephœbos;
Subveniet ſtudiis Aliger ordo tuis.
Quàm volucri pennâ, celeri tam fertur amore,
Seu terris habitet, ſidera ſive colat.
Te noſtri pius urit amor grex dive; tuiq́ue
Pars deſiderii terrea maſſa ſumus.
Quæque tibi cordi eſt, magni reverentia JESU
Ipſius ad laudem ſponte venire ſolet.
Poſt hæc dona dabis: pietas pro divite dono eſt:
Vel quæ de tenui ſunt data corbe placent,
Ære crumena vacat? non eſt tibi pectus inane;
Igneſcat ſtudium, ſi caret igne focus.
Te locuples ipſo es: cor amans pro corde, repende:
Fac caleant flammis pectora ſacra tuis.
Thure litant Reges myrrhamq́;aurumq́; profundunt
Aurum, myrrha tuum, thus quoque munus erit.
Illud Amor conflet: pluat hanc pro crimine pœna:
Thure dato Pietas relligioſa litet.
Laudis ut officio donum ſucceſſerit, ipſe
In tua tum demum vota vocetur Amans.
Hic reddet potiora datis: tantummodo poſcas,
Intendet ſenſus ad tua vota ſuos.
Vulnera corde geris? te fors mala pectoris urunt?
Ipſe levat medicâ vulnera cordis ope.
In te bella movet, teq́ue in certamina poſcit
Trux Acheron? illo ſub duce victor eris.
Forſitan in tenebris erras, ad tartara præceps?
Mentibus ille Pharos lucet, ad aſtra via eſt.
Irus es? & virtutis inops? hinc Crœſus abibis,
Mente petas avidâ quas dare geſtit opes.

At te Sacrorum capiunt faſtidia : ſolùm
Ingeme ; moxq́ue ſacram mittet in ora ſitim.
Triſte ſupercilium ducis ? frontem explicat ipſe ;
Et procul à nobis nubila mentis agit.
Ipſe Parentis amor, Divûmq́ue ſerena voluptas
Dulciſonis mulcet triſtia corda modis.
Denique ſi quod onus, ſi quæ te cura gravabit
Demet ; & unus erit, velle rogare, labor.
Cùm rapit Eliam volucri flamma addita rhedæ,
Stantis Eliſæi mens quoque viſa rapi eſt. *a*
In curſus abit illa pares : ferit æthera clamor ;
Hic ſenis afflari numine Patris amat.
Vota ſanor ſequitur : nam pallia lapſa per auras
Fatidici ſecum ſenſa tulere ſenis.
Et rapitur JESUS : Amor egit ab æthere currum,
Ad te præcipiti volvitur ille rotâ.
Æthereas depromit opes : ſacra flamma relicto
Quem decurrebat tramite, repit humi.
Repit, ut aſſurgas : molitur & ipſa quadrigam
Gratia ; nec donis incomitata venit.
Irrue in amplexus ad te properantis Amici ;
Mittet eliſæo non data dona ſuo.
Fac mens invigilet cœleſtibus impigra curis,
Cùm tua de cœlo tendet in ora Deus.
Tunc gemitu corda icta ſonent : tunc aſtra laceſſe
Clamore, ac ſimili ſidera voce feri.
O Pater ! ô Auriga ſacer ! quò flectis habenas :
In tua tot flammis pectora raptus eam.

ELE-

a *Pater mi ! Pater mi ! currus Iſraël, & Auriga ejus,* 4. *Reg.* 2.

ELEGIA TERTIA.

Pridie ſumptionis Sacræ Synaxeos de illa maturè cogitandum.

CUm jam nox aderit quam lux feſtiva ſequetur,
Invigiles epulo quod celebrare paras.
Heſperus occiduo qui ſurgit in æthera Sole
Præco ſolet Sacris, duxq́ue prꝯire tuis.
Ille tibi ſine voce, velut ſit ſenſus in illo,
Dat tremuli tacitos luminis igne ſonos.
Nuntius eſt ad te ſupera demiſſus ab arce:
Finge loqui; tecum talia voce dabit.
Ætherea venio magni de Principis aula:
Fas erit à noſtra diſcere multa face.
Sidus ego, non de minimis: vigil emico primus;
Nam ſequitur curſus Noxq́ue, Dieſq́ue meos.
Me duce ponuntur, redeuntq́ue in pectora curæ;
Mane mihi labor eſt aſſecla, nocte quies.
Me duce carpit iter jam nocte cadente viator,
Intrat in hoſpitium me quoque ſerò duce.
Inde levo curas: niſi quas intenta labori
Mens gerat abſentem præmeditata diem.
Mane futura vigil proſpectu dirigit acta
Cùm veſpertinis invehor altus equis.
Hæc te cura ſacræ deberet, Alumne, Synaxis
Tangere: deberes igne calere meo.

Muta ducis ſummi vocor & ſum lingua, tibiq́ue
  Me vice legati juſſa ferentis habes.
Corpora quàm ſomno dederis, prius aſpice cœlum,
  Unde, tibi dux hic craſtinus hoſpes erit.
Craſtinus ille dies pernicibus advolat alis:
  In laris ornatu nulla trahenda mora eſt.
Hoc age: non poſſes curis melioribus uri:
  In ſtudium pelli vellet Olympus idem.
A monitis felix omen ne rejice noſtris:
  Si vis, auſpicii ſtella faventis ero.
Hæc Legatus ait. Meritas refer Heſpere laudes
  Tam bene qui cœlo, temporibusq́ue micas.
Sic tua lux ſemper rutilet, tuus ardeat ignis,
  Ad nos venturi nuntia ſtella Dei.
Credibile eſt multos ſacratis EUCHARIS actos
  Ignibus, æthereas mente tenere vias.
Credibile eſt ipſos totidem ſibi corda precari,
  Quot ſpargunt rutilas aſtra minora faces.
At non defuerint tremulo quos Heſperus igne
  Officii memores redderet ante diem.
Et quorum tacitè vox hæc contingeret aures
  Cras tibi Sol aderit; ſum breve ſidus ego.
Sol aderit, vice qui cœli mortalia luſtret
  Pectora, quò ſupero volvet ab Orbe rotam.
Fac micet iſtius ſedes cryſtallina cœli:
  Fac minima noxæ cor tibi nube vacet.
Pelle moram: brevis hora datur: pro principe tanto
  Sera nimis cura eſt craſtina; tolle moram.
Ergo prius dulcem capiant quam membra quietem,
  Corde tuo molles EUCHARI ſterne toros.
Tale ſuſurrabit monitum, bene ſidere viſo,
  Ipſe ſuo ſtimulans lumine corda, Deus.

Sic olim Reges Bethlemia tecta petentes
 Edocuit tutum carpere ſidus iter.
Illa recens natum vulgabat in Orbe Tonantem;
 Hæc modò *Paſtoris Stella* vocanda venit.
Signat iter ſacras quà ſemita ducit ad ædes:
 Quò ſubeat populi *Paſtor* & eſca ſui.
Inque *Domum Panis Bethleem* tibi dicet eundum;
 Rurſus ubi in parva Sindone Chriſtus erit. *a*
Dux nobis præit alter amans Aloyſius: ille
 Floſque tuus JESU, floſque MARIA tuus.
Moris erat Juveni ſuperæ convivia menſæ
 Hebdomadis primâ ſemper inire die.
Quæ ſacra libarat, ſic mens intenta colebat,
 Totus ut in flammas ipſius iret amor.
Hærebant imis adeo pia dona medullis,
 Eſſet ut in grates lux quoque terna parum.
Tresque dein ſoles reduci ſacrabat amico:
 Octavâ explebat deniquè luce famem.
Ordine tam certo pia cura redibat in orbem,
 Quam peragunt curſus aſtra diurna ſuos.
Uſque adeo Lodoïce, tuos rapit Eucharis ignes:
 Ureris; illa tua eſt flamma, cor, ardor, amor.
Et grave ſit cuiquam primo dare veſpere laudem
 Ad ſua venturo limina manè Deo?
Ille dies ternos dabat ante paratibus iſtis:
 Arguit & noſtrum, pectoris igne gelu.
Ducimur exemplis. Quid agat malè providus hoſpes
 Cujus in incultam Rex paret ire domum?
Præ curis nunc huc animum, nunc dividet illuc:
 Ac ſibi præciſâ commoditate gemet.

Sub-

a *Hebraicè Bethleem ſignificat domum panis. Ibi verus animorum panis natus canitur.*

Submovet omne loco minimum quod lædat ocellos;
Hæc prior; ornandi eſt altera cura loci.
Auxilio manus omnis adeſt: ſtudium omnibus unum
Fervet: & apponunt otia parva lucro.
Indica vaſa nitent: petitur vicina ſupellex:
Nil ſcit Majeſtas Regia vile pati.
Aulæis paries, pictiſque tapetibus ardet:
Fit nova penè domus, diſſimiliſque ſui.
Hæc ſibi dux mortalis habet: quid poſcat JESUS?
Suſtineatnè ſuæ ſordida tecta moræ?
O cave pauca neges! ſi vis, famulantibus aſtris
Nulla tibi deerit purpura, nullus onyx.

ELEGIA QUARTA.

Pia cum CHRISTO Domino poſt S. Communionem colloquia ſive deſideria.

Eſt habilis cãdens tundẽdo lamina ferro,
Et matura volunt arbore poma legi.
Dum tibi iam propior, ſacræ Deus igne
liqueſcet (erit.
Eucharis, hoc verſu conveniẽdus
Nate Deo, te luce fruar, te nocte requiram,
Lucet enim facibus noxque, dieſque tuis.
Sentio te, ſub triticeam licet iveris umbram,
Umbræ triticeæ ſed tamen æſtus ineſt.
Uror io! favor hic animos nimis acriter urget,
Clarius in tenebris ille pateſcit amor.

O ſi ! ſi modò te Cereris ſub nube recepto
 Fas mihi ſit longâ paſcere vota morâ !
Non ego te mittam niſi ſis mihi rite precatus
 Ah levis eſt, bona tot qui citò miſſa facit !
Dignior es genio Jacobæis, Chriſte, duellis :
 Intendam roſeo vincula mille pedi. *a*
Vincula vota dabunt : vinciri talibus optas :
 Te ſic occiduo Sole moratur Emaus. *b*
Tu potius, Sol nocte carens, in pectoris intra
 Caſtellum, in mentis culmina tende meæ.
Sic varias inſiſte vias : ita vallibus errat,
 Aut inhiat prædæ per juga celſa canis.
Nunc ſacro te immerge ſinu Zebedæidis inſt
 Nunc pedibus ſupplex Magdalis inſtar eri
Nunc totidem tenero circumda brachia collo
 Quot nexus hederæ vincla tenacis habent
Dic vitâ te malle prius quàm mutua ſolvi
 Fœdera; quæ menſis ſanciit ille ſuis.
In vitem modò vota refer : ſit *Vitis* JESUS,
 Ulmus es : inter ſe vitis, & ulmus amant.
Palmitis impoſuit quondam tibi nobile nome
 Dum tibi ſe vitem conſociare parat.
Vitis ego! exclamat, generoſæ fertilis uvæ :
 Multiplicet fœtus palmitis ille ſui.
Fac ſimul in mentem veniant, ad flebile vulg
 Quæ ſub mole crucis verba ſuprema dedit

a *Luctabatur Iacob cum Angelo : non dimitt benedixeris mihi. Geneſ.* 32.

b *Diſcipuli duo : mane nobiſcum quoniam adv Lucæ* 24.

c *S Joannes Evang. filius Zebedæi, qui recubu ſuper pectus. Joan.* 24.

Sc *Viridi Ligno* confert divinior arbos:
Dic tu: languidulus ſum ſine fruge frutex. *a*
Truncus iners ego ſum; telluris inutile pondus:
Qui cælo, ac terræ noxia poma tuli.
Aut ſim germen agri, qui tot modò floribus halat:
Aut ſacer in noſtram decidat imber humum.
Sis etiam Ficus cenſurâ digna notari;
Ac toties Dominum fallere viſa ſuum. *b*
Dic ut frugiferæ te mittat in Arboris artus,
Explicuit noſtro quæ modò rure comas.
Arbore qui mediâ floret, te ramus adoptet:
Inſerat is mediâ ſe quoque parte tui.
Hoc habet in votis: age tu, mox ille ſubibit,
Antè rudis trunci viſcere cede locum.
Et ſic planta ferax cæleſtis ab indole rami,
Elyſiis referes non leve nomen agris.

a *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc.* 23
b *Arborem fici, &c. Lucæ* 13,

ELE.

ELEGIA QUINTA.

Ad illa verba ſacræ Communioni præmitti ſolita: Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum,&c. *Matt.8.*

AD Superûm menſas quiſquis duce tendet amore
His debet ſimiles volvere cordè modos.
Hoſpita vilis homo ſociem cum Numine tecta?
Sit mihi fas parili ſede, locoque frui?
Velle Deum compacta luto ſub membra venire
Qui levis in ſpecies iverit antè dapis?
O ſuperi! ô bonitas! rerum ô portenta novarum!
Gratia digna coli! dignus amore favor!
Semina pauca damus; terræ mandanda fideli:
Digere, de modico ſemine meſſis erit
Latius in planum breviter conſtricta reduco:
Verſiculos æqua perlege mente meos.
Stat JESU fixum luteâ requieſcere ſede,
Quem loca Cœlituum ſardonychata vident.
Qui numeros titulis, meritis excedit honores.
Putre cor huic ſolium, det caro fœda torum.
Erubuit pudor ad vocem: tua tingat & ora:
Utque reus, preſſâ pectora tunde manu.

Nec te ſcire neges quâ ſimus origine creti:
At bene pauperiem teſtificare tuam.
Carnea ſi ſaltem poſſent figmenta nitere,
Sique tegi nitido fœda colore caſa.
Sed pituitoſus, ſed amaro phlegmate vilis,
Quem ſubit eſt verè parua cloaca locus.
Ipſe tamen flos, ipſe decor, ſol pectoris ipſe:
Lux luci, gemmæ gemma, roſæque roſa eſt.
Qui radiis hebetat flammas, ac lumina Phœbi,
Quem ſupplex etiam deveneratur Honos.
Hæc animo verſa; tua mox rubor ora notabit;
Et rurſum pugni verbere corda ſonent.
Mnneris officio, tantisque paratibus impar
Tu tibi ſis Judex teque fatere reum.
Inſima te ſummo, pretioſo vilia, pulchro
Turpia, ter ſancto tecta pro fana dare.
Surge tamen, tentaque vias: veſtigia figes
Libera: verte oculos ad tibi nata domi.
Si pars una tui bona degener ima ſequatur;
Exerit humanis altius una caput.
Debeat ut limo generis primordia corpus,
Te geniis, animi reddit origo parem.
Macte bonis animi: curis diſtricta laborent
Corpora: mens nullum vivida ſentit onus.
Aut potius molem, ſub qua terrena fatiſcunt,
Ac luteæ carnis pondera mente leva.
Quid canit Iſaides? animis, & corpore totus
Exilio: ſpirant ménsque, caróque Deum.
Effice conjunctis huc tendant viribus ambæ:
Aut ſit neutra ſacræ digna, nec apta rei.
Aſpicis ut bini veniant ad aratra juvenci?
Coge tui partes ad juga ſacra duas.

Sic jubet ut pullus Matri comes adſit amatæ,
Cùm JESUS aſinâ celſior ire parat.
Sic ubi Convivas epulis herus excipit hoſpes,
Sæpe dabit famulâ, fercula, Sponſa, manu.
Nec maculas hera fronte terit, nec tempora fixâ
Comit acu, ancillis ſit niſi cincta ſuis.
Alterius ſic poſcit opem pars altera: fræno
Non niſi diſcordi currere ſola poteſt.
Hunc omni bene parte coles qui numine complet
Omnia; quem meritâ tollere laude nequis.
Nam quod ages, quantumque velis, exile manebit:
Sed magis hinc vires ſuſcitet, inſtet Amor.
Conatusque tuos Majeſtas nequa remittat
Quid Salomonæa fiat in æde vide.
Davidides luſtro geminos ſuperaddidit annos,
Surgeret ut ſummo digna Tonante domus.
Penſavitque operis longos, artisque labores
Præcipuæ templum quod fuit artis opus.
Geſſit enim Princeps inter miracula nomen;
Quale ſibi in magnis Regibus author habet.
Quid modò te faciat tutum, qui Numinis hoſpes
Eſſe volens, ſomno victus inerte jaces?
Cui ſit longa dies animo nimis una parando,
Ireque viſa pigrâ lentius hora rotâ.
Quæ tamen auguſtâ modò depluit EUCHARI, clauſus
Illa Deus priſcis dona negavit Avis.
Quæque ſuo veniens amat ornamenta cubili
Non opus eſt longa de regione voces.
Nil iſthic erythræa valent, nil indica: gemmis
Quas petit, aut oſtro, littus & ipſe mare es.

ELEGIA SEXTA.

Vtilitas quæ ex conjunctione Euchariſticâ cum CHRISTO efflોreſcit.

QUem te Muſa canat qui Myſtica ſacra
frequentas?
A ſupera vires ducis opesque dape.
Scilicet eſt animis quædam concordia
junctis:
Ingenii mores diſparis odit Amor.
Hic tibi junctus Amans diuinum afflabit honorem;
Par ſtudium ſocios, par ſimul ardor habet.
Calculus igne carens, quem percitus attigit alter,
Concipit admotos proximitate focos.
Flamma potens amor eſt, in ſe transformat Amantes
Corporibus plures, mentibus unus erunt.
Πάντα φίλων bene κοινὰ ferunt: in ſe omnia vertit
Ignis, & in ſocium penè Sodalis abit. *a*
Sæpe nocet ſocius; docet ille tumeſcere faſtu,
Alter avaritiam, prodigere alter opes.
Si qua ſit, in plures dabit & contagio labem:
Ceu reliquas ſcabies proxima tentat oves.
Nos trahit exemplar vitiis imitabile: flecti
Cereus in vitium, non ſtimulandus homo eſt.

Vex

a *Græcum adagium: amicorum omnia communia.*

Vox quoque priſca tulit : vacuus cenſebere mentis ;
  Stultus amicitiâ ſi tibi junctus eat. *a*
At bene quod mores Virtus quoque jungat amori :
  Sponte probos motus mens generoſa capit.
Nate Deo, tibi ſacrato junctiſſimus uſu
  Quæ Conviva tuus non lucra ferre queat ?
Quantus erit, ſibi quem talis ſociarit amator ?
  Poſt tot amicitiæ pignora quantus erit ?
Cujus & ille Deus toties ſe infudit in artus,
  Senſaque cui cordis credidit ima ſui.
Vidimus à ſociis lucem duxiſſe Sodales ;
  Quos Virtus celebres, quosve Minerva facit.
Non jacet in tenebris ſibi Petro Marcus Amico :
  Nec leve ſacrati codicis edit opus. *b*
Et fructum Polycarpe refers conjuncte Joanni :
  Parta tibi eſt lingua laurea, palma nece. *c*
Ambroſio grates habet Auguſtinus : ab illo
  Cultior, & ſacræ flumine tinctus aquæ.
Notus aquis Maurus Benedicto plurima debet
  Bernardus Stephano multa referre ſuo. *d*
Bina reluxerunt oculis mortalibus aſtra,
  Mutua ſed virtus lumina prima dedit.
Si tremulæ lucis radius, vilesque lucernæ
  Illuſtrent alios, quid modò Phœbus agat ?

a *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur. Prov.* 13.

b *S. Marcus Evang. S. Petri Diſcipulus à quo Evangelium didicit.*

c *S. Polycarpus auditor S. Joannis : ſignavitque ſuo ſanguine quæ prædicavit.*

d *S. Maurus qui S. Benedicti diſcipulus ambulavit ſuper aquas obediendo.*

S. Bernardus adhærens V. Stephano Abbati Ciſtercienſi.

Si modico permixta mero capit undula guſtum,
  Nil ſapiat plenis guttula merſa merſa cadis?
Inſtruat id mores: ſibi quem tam fronte modeſtâ
  Junget Amans, faſtum ponere doctus erit.
Quos alit hæc Pietas ecquid miteſcere diſcent?
  Num Venus à caſtis eſt abitura focis?
Sed neque deſidiam Chriſti Conviva ſequetur;
  Non patitur ſimilis gratia pectus iners.
Mens quoque vitabit minimæ contagia noxæ
  Jure ſodalitii relligioſa ſui.
Ac veluti vitium mores non exit in altos;
  Ardua ſic Virtus colla levabit humo.
Illius hîc viſæ pulchro capieris amore,
  Exprimitur vivis cujus imago notis.
Et verſare voles ſimiles ſub pectore curas,
  In quas deductum cor ſociale fuit.
Nec tua tot ſtudiis ſectabere lucra, laborum
  Quin ſibi particulam ſors aliena ferat.
Tum cuivis homini pretium dabit EUCHARIS ingens
  Et parvi duces Crœſus an Irus erit. *a*
Quam ſtetit immenſo, dices, ovis unica ſumptu!
  Sanguine paſta tuo Chriſte, redempta tuo.
Inde ſubibit amor, par cura ſequetur amorem
  Nequa cadat ſtygii dentibus icta lupi.

a *Hoc eſt an pauper an dives: quia ut & alibi dictum*
Crœſus erat locuples & erat pauperimus Irus.

ELE-

ELEGIA SEPTIMA.

Modus famem Euchariſticam obſonandi.

A Sacris removenda cano faſtidia menſis,
Cùm data cœleſtis venerit hora cibi.
Ne ſit orexis iners, ſed edendi concitus ardor,
Ante, famem ſtudio conciliare decet.
Nam ſtomachi languor, ſeu non accenſa cupido
Diſſidet à menſis, EUCHARI diva, tuis.
Ecquid amor ceſſat ſapidæ quantumlibet eſcæ
Nî prius exſtimulet languida corda famem?
Perſica ſint quamvis quæ pones, Perſica nemo,
Si nil convivis eſuriatur, edet.
Mille dapum, menſæ titubent ſub pondere; mille,
Quæ non ante fames condiet una, jacent.
Hæc tibi ne deſit convictu fortè ſacrato,
Eſuriem lætâ ſollicitabo lyrâ.
Aſperat ut dulcem, pituita moleſta ſaporem,
Sic animis abeat nauſea pulſa, tuis.
Ceu ſtomachi vitio, cibus utilis officit illi,
Eſſe tibi fraudi res quoque ſana poteſt.
Expiet ergo ſcelus, vitiorum diluat acta
De ſacra faciet qui ſua lucra dape.
Cura ſolet præmitti epulis, nativus ut ante
Exacuat vires; multiplicetque calor.

Aut

Aut juvat ad celſos gradibus contendere colles,
  Aut juvat in plano, quod pede fiat, iter.
In nemus, inque feras aliis eſt impetus ire;
  Eſt ubi præda lepus, altera præda fames.
Alter amat facili decurrere flumina puppi:
  Eſuriem ſenſim fluminis aura movet.
Ille famem & victum linis obſonat, & hamis;
  Unius & merces bina laboris erit.
Denique vox trita eſt: Genialia prandia fumant,
  Prævia ſed nobis debet orexis emi.
Si quæſita fames epulum prælibet inane,
  Deſide quis ſacras appetat ore dapes?
Tutius illarum cupido tangetur amore
  Cui propriæ cordi cura ſalutis erit.
Ergo move greſſus; cœlo ſpatiare ſereno,
  Si fortaſſe nocens pectora frigus habet.
Nolo tamen pedibus, ſed amœna mente feraris;
  Sic tibi commodius conficietur iter.
Per ſacra fige gradum paſſi myſteria JESU:
  Huc molire viam mentis utroque pede.
Et modò Gethſemani colles, modò tecta Sionis,
  Et modò Golgothei culmina ſcande jugi.
Ut pectus glaciale geras, & inutile menſis,
  Mox tua dilapſus corda repoſcet amor.
Exacuet torpens etiam Cibus ipſe palatum,
  Venatus aderit qui bona præda tui.
Ante fac è latebris, quibus abditur, emicet altis
  Si tamen huc aliquis figere tela queat.
Ut minimum fixi relegas veſtigia *Greſſus*,
  Quæque notat fuſo tincta cruore loca.
Fragrat amicus odor, qui mentem afflabat in illis:
  Mollibus illa roſis gratior halat humus.

Vel gelidi cordis poterit revocare calorem
  Guttula, Olivifero quam bibit herba ſolo.
Limite tunc alio greſſus in Golgotha flecte:
  Hîc videas rabidos frendere dente lupos.
Corpus in Agnelli repetitis morſibus itur:
  Quo nihil in toto mitius Orbe fuit.
Ille tui melius jaculo figatur amoris:
  His non ſe telis, vulneribusque negat.
Si retrahunt animum miſeræ ſpectacula ſcenæ:
  Quo paſcas oculos altera ſcena dabit.
Cerne Thaboræum forma meliore theatrum:
  Inde famem ſatiat Petrus, & inde ſitim.
Blanda quies, nubes argentea, & aura favonî,
  Et loca mille roſis conſita vota replent.
Poſtulat ut longos ea gratia duret in annos:
  Tale diu nectar ducere Petrus amat. *a*
Plus hac ſede tamen, qui venâ divite manat
  Fons placet, & vivæ rivus amœnus aquæ.
Eucharis hinc latices ſaliunt, qui frigora pellant:
  Hic tibi quod ſitias, quodque bibatur erit.
Vis aliam ſpeciem? quos non invitat amores
  Quem colit Elias cum ſene Moſe Deus. *b*
Ipſius mel ab ore fluit: cor Hymettus, & Hybla eſt:
  Et capit illecebris obvia corda ſuis.
Divorum ipſe Parens, propriâ ſat ſorte beatus,
  Se tamen eſt faſſus cedere, ſeque rapi.
Diſſimulare nequit ſua gaudia quique redundat
  Pectore letitiæ rivus in ora fluit. *c*
Detinet ille meos oculos, habet unus amores
  Filius; ô bona tot, quiſquis amabit, amet!

ELE-

a *Domine bonum eſt nos hic eſſe, &c. Matt. 17.*
b *In ea Transfiguratione apparuerunt Moyſes & Elias.*
c *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. &c.*

ELEGIA OCTAVA.

Optima per actus virtutis, quam appellant humilitatis ad Sacram Synaxim ſumendam præparatio.

NOn ramo frondente viret, non fragrat amomo
  Digna coli Chriſto jam veniente, caſa.
Tædia præſentis debes Conviva vereri,
  Quæ movet illa tuo nata mephitis agro.
Nequa caſæ forſan, vel odoris nauſea ſurgat,
  Huc ades, & Muſæ dicta capeſſe meæ.
Limina Magdalea ſtudeas perfundere nardo
  Enituit Chriſti quâ ſacer unctus apex. [a]
At nimis ingentis pretii liquor ille vocetur,
  Nî tibi nativâ plurimus iret humo.
Nil niſi vile peto: tibi quæ natalis origo,
  Et genus unde trahas excute, nardus erit.
Nardus erit faſtus inimica modeſtia: talis
  Aſſolet in terras ducere Numen odor.
Quà licet hunc per tecta celer diffunde liquorem:
  Plus aliquid ſucco Magdalis ille poteſt.

Nunc

[a] *Joan.* 12.

Nunc malè tranſactæ verſa contagia vitæ,
Nunc natale tibi mente revolve lutum.
Quamvis vile ſciam, ſimili ſit nobile motu:
Quóve Dei nares blandius afflat, habet.
Fac tua quod cœnum redolent alabaſtra, pateſcat;
Nec ſordes animi diffiteare tui.
Non ego dic cœlũ, aut Bethleem; ſed inane ſepulchrũ
Quo cœli Dominum condere rurſus amo.
Quin etiam nimios vocis tibi ſumis honores,
Nam tua conſimili pectora laude carent.
Rupibus in mediis tumulus ſurgebat JESU,
Morte nec alterius jam temeratus erat. *a*
At tibi fortis abeſt animi conſtantia: corque
Molle tibi varius ſæpe ſubegit amor.
Sis tamen huic tumulus: ſed ut ipſius ultima cernes
Lintea, prima tui vela pudoris erunt.
Æquavit Sindon floccos ſine labe nivales:
At vitæ quota pars eſt ſine labe tuæ; *b*
Res tibi deterior ſimili ſic agnita ſenſu
Hoſpitis ad cultum, deliciaſque facit.
Mittere jam cœpit primos tua nardus odores:
Nardina fac totam compleat aura domum.
Audio: Vox loquitur: *Verbum* memorabile profert,
Et bona quæ ſolâ tangere voce licet.
Incola Jordanis, celebris Baptiſmate Divus
Hoc Auditores increpat ore ſuos.

Quid

a *Et poſuit illud in monumento, quod exciderat in petra, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Matth.* 27. *Luc.* 23.

b *Joſephus involvit illud in Sindone munda. Matt.* 27.

Quid me ſuſpicitis? non eſt mea gloria tanti:
  Quid colitis viſo debile Sole jubar? *a*
O Superi! quantus, quamvis inglorius, hoſpes,
  Tecta tulit pulchrum per Solymæa pedem!
Quantus io! mea dextra auſu temeraria peccet,
  Vincula ſi ſancto detrahat ima pedi. *b*
Fas negat ille ſibi ſoleam contingere ſacram
  Quo nil, teſte Deo, ſanctius orbis habet.
Et levis attrectes ſacrum caput, oſque verendum;
  Abdas & luteâ Numina ſumma caſâ?
Iſta movens animo, ſuperas abreptus in arces
  Ante Marianos vota profunde ſinus.
Diva Parens, tua res agitur: nos poſcit JESUS;
  Huc ades, & nitidi pectoris adde nivem.
Ne violem ſublime decus, tua lilia mitte:
  Munditie potero, Virgo, placere tuâ,
Dic: Seraphim date, ferte faces; ne fiat JESU
  Cordis amatori cor glaciale torus.
Poſcatur Genius, rerum tutela tuarum:
  Ille tuas ſurdâ non bibet aure preces.
EUCHARIS in titulos ſurgat: conjungat honorem;
  Pulvinar Domino ſternat & ille ſuo.
His tibi Patronis nardo flos mixtus olebit:
  Cum Genii violis MYSTICA Virgo ROSA.

a *Vox hîc dicitur S. Ioannes Baptiſt. qui de ſeipſo ait: Ego, Vox clamãtis in deſerto, &c. Verbum nempe Incarnatum annuntiabat, Ioan.* 1.

b *Cujus non ſum dignus ut ſolvam corrigiam calceamenti, Ioan.* 1.

ELEGIA NONA.

Ipſius doni, & Datoris conſideratio ſacræ Synaxi præmittenda.

HAud obiter fixis metam ſortitur ocellis
Quiſquis amat certâ mittere tela manu.
Rem quoque ſucceſſus felix de more ſequetur
Cui comes inſiſtet cura, vigilque labor.
Si quod opus debet ſtudio ſolerte moveri,
Sollicitet curas EUCHARIS eſca tuas.
Ut ſolùm noſtras vox EUCHARIS attigit aures,
Pectora neſcio quo vox rapit iſta modo.
Quid verò tituli ſignent evolvere coner?
Viribus hîc impar, & minor arte forem.
Ora tamen ſolvo nolens deſiſtere cœptis:
Neu pars officii clauda ſit ulla mei.
In primis mea juſſa tene: fac pectore verſes
Unde ſuos ortus diva *Synaxis* habet.
At data ne ſolâ diſcernas munera fronte:
Si qua dedit munus, ſit tibi nota manus.
Non minimi refert quâ ſurgat ab arbore pomum,
Aut quo diductæ fonte bibantur aquæ:
Muneris in partem quidni dator ipſe veniret?
Num pretium donis author, amorque facit?

Quem tibi donat equum gentis vir origine clarus
  Gratus erit Domini nobilitate ſui.
Quæque ſalus à Rege datur, cor mulcet, & aures,
  A Duce quæ ſolo miſſa minoris erit.
Sed cunctis meritò præfers; & in æthera tollis
  Si qua dedit cælum munera, ſi qua Deus.
Pæſtanas roſa Dorotheæ te Judice vincit;
  Laude loci celebris, laude datoris erat. a
Quid fuit Huberti quare Stola mira colatur?
  Roma polo retulit, ſacraque pinxit acus. b
Ildefonſus ovat tunicam ſibi dante MARIA,
  Ad quam ſit Regum purpura viſa rubor. c
Non hæc miramur, nec fiunt munera tanti,
  Quod ſint Palladiæ forſitan artis opus.
Non ab erythræis gemmis lux iſta, vel auro
  Ducitur; à dantis lumine tota venit.
Colligis hinc ſacræ quis honos, quæ gloria menſæ;
  Eucharis hinc infer quo ſit habenda loco.
Ecquid enim fingas melius, quid majus JESU?
  Iſta tibi bonitas, hic famulatur honos.
Fine licet careant, ſpatiis amor utraque parvis
  Contrahit; exiguo dum latet orbe Deus.
Ille peregrinò carnis velatus amictu.
  It ſub triticeas altera vela notas.
Sic animis alimenta dabit: ſi junctus amanti
  Corda cupit ſtabili conſociare fide.

a *S. Dorothea V. & M. ex horto ſponſi ſui roſas promiſ-ſas Theophilo miſit hyeme media.*
b *S. Huberti Epiſc. Leod. ſtola ab Angelo data illi Romæ nom ne B. Virginis*
c *Archiep. Tolet. accepit à B. Virgine veſtem candidam, P. Mariana de reb. Hiſpan.*

Muneris ipſe ſui comes eſt dum cedit in eſcam:
Par pretium donis addere nemo queat.
Jam Cleopatræum ceſſet jactare lapillum
Romuleus; regnum quo potuiſſet emi. *a*
Plus aliquid regno cælum eſt, plus Numen utroque
EUCHARIS eſt ipſo non minor eſca Deo.
Si potuit Jonathas teneri Davidis amores
Vel ſibi detractâ conciliare togâ. *b*
Quid ferat hic qui mille togis eſt pluris amator?
Ecquid ſe ſibi nos demeruiſſe poteſt?
Teſtis es, Antoni, quo Paulus amore liqueſcat
Cùm Cereris duplex detulit ales onus.
Æthere demiſſus panis licet ille volârit;
Hunc tamen ad Panem terrea maſſa manet.
Qui Paulis potiora tulit potiora rependat:
Plectra ſonent, reſonent cantica, plaudat amor.
Divorum exuvias avidus complecteris hæres;
Teque putes cælo iam prope ferre pedem.
Ecce tuis Divûm Princeps illabitur ulnis:
Et ſuperas aperit, claudit & ille fores.
Velleribus Serum ſacra lipſana condis & auro;
Ille tibi dempto fine colendus erit.
Quot ſibi Phidiacâ cælatas arte tabellas
Crux habet? à Chriſti Crux pretioſa nece.
Lignea materies gemmis præponitur ipſis:
Et benè: nam JESU lectus & umbra fuit.
Cum rudibus lignis meritos inducis honores,
Cultus in authorem, quem tetigere redit.

Illi

a *Cleopatra Antonio unionem regno æſtimatum donavit.*
b *Jonathas Regis Saul filius ſe veſte ſpoliavit ſua, & illa Amicum Davidem induit.*

Hîc curas accende pares: qui cætera tactu
 Nobilitat, poſcit jam tua tecta Deus.
Tempora labuntur thecis quæ longa parandis
 Compenſet ſtudio tecta parantis amor.

ELEGIA DECIMA.

CHRISTUS in ſacra Communione virtutum omnium præcipuè verò charitatis exemplar.

QUàm bene apud memores veteris ſtat gratia facti; (canit.
 Tam bene qui libat Myſtica Sacra,
Poſt cantus modulos, poſt reddita præmia laudum
 Sedula melliferæ geſta ſequeris apis.
Qui Nazaræis tentoria fixit in oris
 Materiem mellis floridus ille dabit. *a*
Liliolum vallis, *Flos campi* ſæpe recurrat;
 Unde tibi nectar conficiatur, erit. *b*
Ille ſinus ad te tendens flos explicat omnes:
 Inque tua figi, ſi ſinis, optat humo.
Et licet à Patria florentis nomina geſtet,
 Officiis vincit nomina pulchra ſuis.

a *Chriſtus Nazarenus à Nazareth hebraicè florida.*
b *Ut alibi eſt dictum, Chriſti ſunt elogia, vide Eleg. 1. lib. 2.*

Quos vice panis alit, virtutis odoribus afflat:
  Eucharis omnigenis floribus halat ager.
Elyſias hîc promit opes; nec flore caduco,
  At cæleſtis agri munere ſenſa rapit.
Sic Panthera feras molli quem ſpargit odore
  Allicit, & pellis verſicolore notâ.
Hic quoque verſicolor fit Amans: hic vertitur omnes
  Commodus in formas, officiique vices.
Si cupis ut vitæ tradat præcepta regendæ,
  Exemplo firmat tradita juſſa ſuo.
Si medicas in te vis experiatur ut artes,
  Curat Apollineâ vulnera cuncta manu.
Te mala ſors, te pauperies premit obſita pannis?
  Quâ fias locuples, gaza *Synaxis* erit.
Magdalis ingenuas tibi prævia currit ad artes;
  Dat Domini verbis otia nulla jocis.
Ne labatur humi verbum pretioſius auro
  Occupat; & minimos combibit aure ſonos.
Talibus invigila ſtudiis, ubi tectus amicâ
  Sindone vertet amans ad tua tecta pedem.
Quidve ſuſurrabit purgatam mentis in aurem
  Sit tuus attentâ diſcere mente labor.
In primis tibi dicet, *Amo*: ſine voce loquuntur
  Acta ſatis: pariles corde remitte ſonos.
Tum verbis accedat opus: nam frigida res eſt,
  Ac levis aura Noti deſidioſus amor.
Juſſa tene quæcumque dabit tibi panis in umbra
  Illo facundus, quod premit, ore Deus.
Dum latet, & faſtum neſcit, dum juſſa capeſſit
  Myſtica, dum patiens durat, agenda movet.
Suſpice pauperiem ſupero jam ſtemmate claram:
  Quando Ceres ſummi fit brevis aula Dei.

Caſtra

Caſtra pudicitiæ ſubeas: hortatur amator
  Qui velat niveâ lucida membra togâ.
Igne calens puro fœdi arma cupidinis uſſit:
  Igne caleſce pari, ne nova tela pares.
Quid quod & à Myſtæ nutu modò pendeat ille
  Qui terras nutu, qui regit aſtra ſuo.
Diſcimus exemplo propriâ non vivere quadrâ,
  Sed Capitis ductum, ſed data juſſa ſequi.
Virtutum ante omnes pulchro certamine victrix
  Una ferè Pietas prima trophæa refert.
Fercula qui cernet, caſtum trahet inde calorem:
  Vivet in illius pectore flamma memor.
Haud paribus menſis fraternum explevit amorem
  Joſeph Niliaci gloria magna ſoli.
Altius hic clamat: *Fratres!* ego veſter JESUS!
  Vel mihi, vel donis credite veſter ego! [a]
Exprobrare cavet veſani dira furoris
  Crimina; venalem ſe, tragicamque necem.
Pax iræ, pietas odio ſucceſſit, & ipſi
  Per ſcelus illatæ vita repenſa neci.
Sed Fratris titulos, & amantis mitto Magiſtri
  Nomina, ſunt meritis, Dive minora tuis.
Vox Patris accedat, vox eſt tibi debita Patris:
  Parta tuo nobis funere vita fuit.
Quóve ſui ardoris teſtes daret ipſe tabellas
  (Mirandum dictu!) ſuſtinet eſſe cibus.
O animi ſublimis opus! memorabile factum!
  Ars ſtupet inventis obruta, Chriſte tuis.

Nam

a *Non poterat ſe ultra cohibere Joſeph, &c. Elevavitque vocem, & dixit fratribus ſuis (quos exceperat convivio) ego ſum Joſeph frater veſter quem vendidiſtis &c. Geneſ. 45.*

Nam quod ames; vulgare ſat eſt: quod amore tuorum
  Occumbas; etiam pro grege Codrus obit.
Sed tibi tota uni laus hæc debetur: honores
  Unus habe, victus quos tibi cedit Amor.
Omne cor unus habe. Simili cor ſi quis Amanti
  Subtrahit; hic excors aut lupus, aut lapis eſt.

ELEGIA UNDECIMA.

Ad illa verba rurſum: Domine non ſum dignus, &c.

ANgele mi, tu ne ille mihi es qui vellicat aurem?
  Ut reor, hîc reſonat vox tua; ſiſte cliẽs.
Siſte cliens: ſpem præcipitas noſtramq; tuamque,
  Dum temerè divas accipis ore dapes.
Non leviter peccas ubi te levis impetus aufert;
  Et nimium præceps in bona tanta ruis.
Talibus ante juvet menſis accingere pectus:
  Hoſpitis ante juvet ſtemma notare tui.
Ille recurſet honos animo, decus illud, & ingens
  Gloria: tum Myſtæ verba precantis habe.
Voce præit: Deus ô non ſum cui talia præſtes
  Aſpiciant vultus ut mea tecta tuos.
Vox, Deus, una ſat eſt; ſatis & ſine voce voluntas;
  Jam vitii virtus ſub pede colla premet.

Hæc

Hæc mihi ſubjecit Genius: quæ paucula verbis,
Re tamen, ac ſenſu, multa canenda tegunt.
Aligeri monitum mecum, fac pectore verſes:
Æde ſacra ſimiles, quiſquis es, ede modos.
Utilius nil voce feras, nil corde volutes:
Et facient certam, quæ modò ſubdo, fidem.
Sponte manus, & colla dabis ſi ſtemmata tentes
Hoſpitis, ac generis dinumerare gradus.
Parva ſed oceano committes vela profundo:
Nec faciles portus eſt habitura ratis.
Deficies, magníſque rues conatibus impar:
Diſpereat tanto parvula cymba mari.
Littora prima legas. Quid ſit Deus exige tecum;
Nec dubites illis naufragus eſſe vadis.
Ad vocem hanc ſuprema labant: diademata, faſces,
Sceptra jacent, pudor eſt Gloria, Fama probrum.
Altius humanis caput exere: mitte caduca:
Quà potes æthereas corripe mente vias.
Excute Divorum genus; & denſata catervis
Aligerûm, ſenſus occupet aula tuos.
Excedunt numerum: patrio gens æthere nata eſt:
Vel quorum minimo par nihil Orbis habet.
In ſeriem redigas omnes longo ordine Reges,
Nil ibi quod Genio ſuſpiciatur erit.
In cunctos Reges nimis unus, laude redundat,
Angelus: à tantis quod decus ergo choris?
Quot modò myriades Geniorum amplectitur æther?
Non tot Magnates Orbe ſtetêre viri.
Ergo per innumeros quæ tandem copia laudum
Fuſa choros? quæ lux? gloria? ſplendor? honor?
Hæc tamen, ut ſolis dormitant aſtra ſub ortum,
Ante Dei vultus luce carere ſcies.

Ipſa

Ipſe tot, ac tantos JESUS obfuſcat honores:
Hæc collata Deo gloria, vilis erit.
Vincitur hoc radio Geniorum debile lumen:
Diſparent ſubitò quæ micuere prius.
Gutta mari meliùs confertur, arenula monti,
Et cum Phœbeâ lucida ſtella face.
Nam mare limitibus, certo mons fine tenetur:
Sola Dei fixo gloria fine caret.
Quamque vel Angelicæ ſit inanis gratia formæ,
Scimus; & haud dubiam res habet iſta fidem.
Pauperiem ſacra turba ſuam teſtatur abundè,
Velatis Numen devenerata genis. *a*
Si laudum tam denſa ſeges commenſa decori
Chriſte tuo: ſi tot lumina nulla forent.
Grande quid opponet quo tollat homuncio criſtas?
Cujus ſtemma cinis, cujus origo lutum.
Nunc eat, & faſtu caput efferat: Hoſpite tali
Apparet indignas abſque rubore caſas.
At bene; dat veniam faſtis: captatur Amator
Ingenuâ, noſtro quæ venit ore, fide.
Hac ſubit, & vincit Mulier ſibi viſa catellus
Ut Domino micas excutiente legat. *b*
Militat his armis, cui vox manet ipſa ſuperſtes
Centurio; famuli tactus amore ſui. *c*
Hinc moduli veniunt, quibus eſt prior uſus ad aras:
Dona ſimul referes; vocibus adde facem.

E L E-

a *Iſaiæ 6. Velabant facies ſuas Seraphim, quaſi fatentes ſe adverſus tantum Dei fulgorem cæcos (inquit) P. Lorinus.*

b *Nam & catelli edunt de micis quæ cadũt, &c. Mat.* 15

c *Centurio ad Chriſtum: Domine non ſum dignus, &c. Matth.* 8.

ELEGIA DUO-DECIMA.

Gratiarum actio à ſacra Communione per varios virtutum actus.

IN tua jam quid agas deducto limina Chriſto
Illa ſit officii proxima cura tui.
Tanta ſui memorem meritorum gratia poſcit:
Dicere quas grates, quaſve referre velis?
Virtutum dux prima Fides, agat agmen, & unà
Convocet æthereos ad nova feſta choros.
Muneris expenſo, momentum expendat amoris:
Hic ingens campus quo ſpatietur erit.
Spesque ſecuta Fidem ſe pectore fundat aperto:
Laxet iö totos in bona tanta ſinus.
Fine coërceri nullo fiducia debet:
Ad non ſperatas libera tendat opes.
Quæ ſitis eſt, illo quæ non mergatur in amne?
Quæve fames, quam non expleat eſca Deus.
Cerne quot hic nobis ceu pleno fonte profundit
Gaudia: quàm certæ pignora pacis habent!
Fronte revelatâ quondam radiabit imago
Quæ modò ſub tenui condita nube latet.
Tunc ſuccurrat Amor, telis qui certat, & igne;
Hoſpitis & telis cingat, & igne latus.

Evacuet gravidam mox impiger ille pharetram;
 Addat & igniferas ad ſua tela faces,
His ubi nudus erit, factus bellator inermis;
 Ne ſibi de ſcena cedere turpe putet.
Seque levem faſſus ſupero qui certet amori
 Det Domino victas victor & ipſe manus.
Tunc meliùs pugnans pro telis oſcula figat:
 Corque gerat, fuerit quâ manus orba facem.
Ambiat amplexu ſibi juncti colla Sodalis,
 Inque ſacros æſtus ſollicitatus eat.
Grande ſoporifero ſcelus eſt torpere veterno
 Dum vigil in noſtri perſtat amore Deus.
Quam jacit ille, ſacrę pectus ne ſubtrahe flammæ;
 Sic juvat inſontes fax Babelæa ſuos. *a*
Quam bene tres juncto Pueros imitabere cantu!
 Cauſa tuum melior pectus, & ora vocat.
Numinis in laudes ipſi os, & pectora ſolvunt
 Nulla quòd in mediis damna tulêre focis.
At bona te cumulant, quorum Deus author Amorque.
 Et careat meritis ille, vel ille ſuis?
Res illi mutas etiam fecere loquaces;
 Et bona ſunt juſſæ dicere verba Deo.
Sic votis minor ipſe tuis nova laudibus ora
 Quęre: ſacrum celebret totus ut Orbis opus.
Hoc opus efferrent validâ licet omnia voce;
 Eſſent condignis inferiora modis.
Volve frequens iſtud celebri *Benedicite* verſu:
 Sit Puerûm; non eſt hoc puerile melos.
Ultima more ſuo veniat quæ nomen ab ipſa
 Ducit homo virtus, nec tamen ima tenet.

Voce

a Tres pueri ambulabant in medio flammæ laudantes, & glorificātes Deū. Daniel, 3. Benedicite omnia opera, &c.

Voce columbina carmen moduletur Amanti
  Quale dedit Zacharis, quale MARIA dedit. *a*
O pietas! luteas etiam divertat ad ædes
  Non jam magna Dei Mater, at ipſe Deus?
Ut tanto caſa noſtra duci tangenda putetur?
  Corde meo chaos eſt, quò bone Chriſte ruis?
Cùm peteres olim per terræ viſcera Limbum,
  In tenebris Limbus non ſine luce fuit.
Clarus erat virtute Patrum: ſed diſpare tecta
  Sorte ſubis: regnat per mea tecta Scelus.
O! pereat duce te! virtutum lumina tecum
  Circumfers; animi nubila pelle mei.
Tunc ego magnificæ faciam præconia dextræ:
  Teque etſi parvo, quâ licet ore, canam. *b*
Néve quid ad medulos deſit; quod cœpero carmen
  Pange tuâ Zachari, pange, MARIA, lyrâ.

a *S. Elizabheth Zachariæ uxor: Et unde hoc mihi ut veniat, &c. Luc.* 1.

b *Ibidem B. V. Deiparæ: Magnificat anima mea Dominum, &c.*

ELE-

ELEGIA DECIMA TERTIA.

CHRISTUS ſub allegoria Nautæ animam regit, & illi de annona providet.

SI quis es, ancipiti cujus ratis acta procellâ
Fluctuet, ad numeros dirige vela meos.
Quâ placido curſu poteris contingere portum
Quâ captare Notos fas erit arte, cano.
Rectorem aſſigno dubiæ Typhimque carinæ:
Fac tua ſub JESU præſide navis eat.
Novit iter; via nomen habet: ſi quæris in aſtris
Quam ſit verſatus; quis ſit & unde roga.
Stella recens nati cunas ſignaſſe puelli
Fertur & eoos elicuiſſe duces.
Cùm maris ira furit, quid agat, ſi noſcere cura eſt,
Conſule pallentes per freta mota viros. *a*
Illius ad vocem mare ſtat; vada mota quieſcunt:
Et Notus & tumidæ ſternitur æquor aquæ.
Denique ne dubites an ſit maris ille peritus:
Quam regit, eſt portum certa ſubire ratis.
Parva cano: minor à noſtræ ſit carmine, Muſæ;
Quæ ſequitur modulis inferiora ſuis.

Deſtituuns

a Domine ſalva nos, perimus, &c. Matth. 8.

Deſtituunt potiora lyram : quin æquore lato
   Navigo? quin plenis lintea pando Notis?
Nate Deo, Nautis polus es, maris arbiter idem:
   Te tremulo motu reſpicit omnis acus.
Quæque tua eſt bonitas, agis ipſe per æquora puppim:
   Jusque aliquod tecum qui freta findit, habet.
Imò quod inſanis mare tempeſtatibus horret,
   Inde Notis tumidum, fluctibus inde minax.
Sedatis unda, & vento componere nôſti:
   Et potes ereptam reddere nocte diem.
Qui bene ſe novit, quàm ſint hæc vera fatetur:
   Nec mortale negat cor maris inſtar agi.
Cor fluit, & refluit, rapiturque, & volvitur æſtu:
   Et ſola conſtans in levitate ſua eſt.
Nam patitur motus prout eſt accenſa cupido:
   Bella decem fluctus, undecimusque movent.
Odit amat, timet audet idem, cupit horret; in iras
   Exurgit, dolor hinc gaudia, ſpesque ſubit.
Subduxi numerum quot ſint in pectore motus;
   Quàm mens inſtabiles fluctuet inter aquas.
At bene quod nobis veniat moderator aquarum,
   Qui facili miſeram ſublevet arte ratem.
Quid quod & annonam, dum per mare currimus am-
   Sufficiat noſtræ providus ille fami? (plam
Detulit æthereo condita cibaria ſucco;
   Melle novo ſaturas, ambroſiâque dapes.
Sic nautæ dum munus obit, ſit & Inſtitor idem:
   O gemino nobis munere care Deus!
Quin tibi provolvar ſupplex? & prçſide tanto
   Indignum fatear meque ratemque meam.
Petre capis piſces: capis unà gaudia, teque
   Vix capis; & Domini procidis ante pedes.

Quam cibus hic præſtat! quo nos, bone navita quo nos
Inſtitor oblectas, & rude pectus alis.
Nec tibi dem grates? nec ſupplice poplite volvar?
Nec tibi noſtra canat Calliopea melos.?
Huc ades ô cymbæ bone dux; tu dirige curſum:
Et qui liba paras Inſtitor, adde moram.
Syrtibus infamis, ſaxisque latentibus unda eſt:
In ſcopulum impinget neſcia cymba viæ.
Cui tamen aſſiſtis, vitare Capharea diſcit:
Et placido tutum gurgite flectit iter. *a*
Allidi *Petram* tantum mea poſſit ad unam:
Et validos artus firmior inde feret. *b*
Huc ades ô cymbæ bone dux, & dirige curſum:
Et qui liba paras Inſtitor adde moram.
Hoc duce nil curo Zephyriſne faventibus utar:
Mitis ab ipſius ſpiritus ore venit.
Et quo carpit iter, ſe plurimus Aliger infert
Lapſa per æthereas turba beata vias.
Leniter aſpirant ubi ſunt; ſunt mente benignâ:
Ingenio domini conveniente ſui.
Hi mea ſidereo complebunt carbaſa flatu:
Hæc blandè curſus provehet aura meos.
Ergo ſubi dux magne ratem: ſic flamine leni
Pulſa, nec immiti flumine cymba fluet.
Sed tu naviculæ rector, tu dirige curſum:
Et bona liba parans Inſtitor, adde moram.
Intentet Pirata minas Acheronticus: in me
Pluſquam Scyllæo Cerberus ore latret.
Non ſi conjunctis armentur viribus iræ
Pallebo veſtro Styx Acheronque metu.

Hæc

a *Loca in mari navigantibus periculoſa.*
b *Petra autem erat Chriſtus* 1. *Corinth.* 10.

Hæc ſtatio malè fida tibi eſt; demergeris undis
  Grex niger in fœdas juſſus abire ſues. *a*
Cæſare ſi vecto vetitus ſit Nauta timere,
  Pluſquam Cæſareum fert mea cymba ducem. *b*
Si ſua ſigna velit timidæ præfigere puppi,
  Quàm gravis hæc humeris Crux erit, Orce tuis!
Huc ades ô cymbæ bone dux, & dirige curſum:
  Et qui liba paras Inſtitor adde moram.
Me Venus orta mari, me Siren improba poſcat;
  Illecebriſque gerant prælia blanda ſuis
Non metuo modulis, non molli cedere flammæ:
  Nec tamen ad malum fune ligandus ero. *c*
Illa Ceres, quâ noſtra foves, bone Navita, corda,
  Me rapit; inque meâ blandius aure ſonat.
Hæc tacitè ſubdit, quos celat amantibus ignes:
  Pignus enim incenſi grande caloris habet.
Imò cupidineas fertur reſtinguere flammas
  Me petat; & flammæ flamma ſit illa meæ!
Huc ades ô cymbæ bone dux, & dirige curſum:
  Et qui liba paras Inſtitor, adde moram.
Nil hic Oleniæ ſidus pluviale capellæ,
  Nil oriens Sterope, Taygeteque poteſt. *d*
Sol nobis comes eſt, animi qui nubila pellit
  Auſpicium felix ſideris omnis habet.
Si qua cadet cœlo, divini eſt copia roris;
  Illo ſtella favens EUCHARIS imbre pluit.

a *Lucæ* 8. *Intraverunt in porcos.*

b *Ortâ procellâ Cæſar Nautæ ſe vehenti dixit: Noli timere; Cæſarem vehis.*

c *Ulyſſes ne abriperetur Sirenum cantu, ſe curavit alligari ad navis malum.*

d *Sunt ſtellæ pluviales.*

Et nemo prudens pluviæ ſe ſubſtrahet illi:
Non tanti Danaës aureus imber erat.
Huc ades ô cymbæ bone dux, & dirige curſum:
Et qui liba paras Inſtitor, adde moram.
Imus io! mediumque tenet mea cymba profundum.
Sperat & optata tangere littus humo.
Antè tamen caſus varii, & diſcrimina rerum,
Quàm videam portum, me ſubeunda manent.
Ut deſint alii, premit ipſe domeſticus hoſtis:
Ad fatuos ignes, ad vada cæca vocat.
Splendicat hinc Faſtus, mentemque inflammat, & inde
Ambitio, Ingluvies ventris, amórque lucri.
Sic olim falſos Genitor Palamedis ad ignes
Quos vocat, infeſto perdidit amne viros. *a*
Ad clavum qui Nauta ſedes, tu cernis ab alto
Exercent miſeram quam mala multa ratem.
O bone naviculæ rector, ſic dirige curſum,
Ut teneat portus noſtra carina ſuos.

a *Ferunt Nauplium, ut Palamedis filii inſontis, Ulyſſis aſtu interfecti mortem ulciſceretur; redeuntibus in Patriam Græcis, coortâ ſæua tempeſtate Caphareum montem aſcendiſſe, & nocte accenſâ face, quaſi in portum acciret, eos evocaſſe in ſcopulos.*

ELE-

ELEGIA DECIMA-QUARTA.

Recolenda per diem ſacræ Euchariſtiæ manè ſuſceptæ memoria.

QUi turpi indulgere gulæ ſolet helluo, ſemper
Huic brevis eſt lautis quæ datur hora cibis:
Ille mero, dapibuſque diem conſumat ut omnem,
Nõ tamẽ explebit ventris inane chaos.
Ingluvie detracta dolet ſibi tempora, qui nos
Ambroſiâ, qui nos nectare paſcit amor.
Et queritur pretioſa ſacræ convivia menſæ,
Tam modicas avidæ mentis habere moras.
Hæc totâ quin luce colit qui manè frequentat?
Eſca trahi menſæ tempora talis amat.
Ne JESU tam pulcher amor, ne nobile donum,
Ne minimâ pietas excidat illa morâ.
Quem capis ore cibum, dentem ſub dente fatigans,
Is, niſi ritè tibi comminuatur, obeſt.
Cernis ut ad fauces revocet quod condidit alvo,
Quodque ſemel mandit ſæpe remandat ovis?
EUCHARIS ad menſas *animalia munda* vocantur,
Sacra quod omnis amans *ruminet*, eſca dabit. *a*

a *Animalia munda in lege veteri appellabantur quæ ruminabant; & erant Deo accepta in Sacrificiis. Levit.* 11.

Fertilis illa boni eſt: quid ſpirent abdita cerne;
Quo paſcas animum, quo tenearis erit.
Nec tibi nux cedit nucleum nî clauſtra revellas:
Cortice nec ſalvo balſama grata fluunt.
Cinnama trita juvant: quid ſunt niſi cinnama lignum
Si malè particulas trajicis ore rudes,
In panem frumenta molis: niſi granula frangas
Quæ piperi vis eſt, quisve ſinapi vigor?
Ergo quod egit agat Conviva Synaxis, & illam
Mente frequens verſet, quam capit ore, dapem.
Et modò colloquiis ignis, modò rebus alatur;
Sic uſu didici nuper amare meo.
Frena remittebam curis, comitatus Achate
Cùm mihi per latum contigit ire forum.
Hîc tabulæ muros, tabulas ornabat imago:
Diſtinguunt quales hoſpita tecta notæ.
Dum volvo per cuncta oculos; quid penſilis umbo
Quæro, quid hoc aurum, picta quid arma velint.
Tum comes; aſſer, ait, pictis Inſignibus ardet
Quæ ſibi Magnates appoſuêre viri.
Martia ſcuta micant: rutilo ſignatur in auro
Tecta quis Heroûm vertit ad illa pedem.
Hinc Dux, inde Baro, Comes illic ſymbola fixit:
Et memor adventus picta tabella manet.
Accipit hoſpitium quam ducit ab hoſpite lucem:
Nomen ab excepto Principe grande feret.
A Socii verbis mihi mens fuit icta; ſubitque
Eucharis obtigerit quis mihi mane favor.
Et dixi: quis ego? fruor hoſpite, Rege: Monarcham
In noſtra vidit lux hodierna caſa.
Riſit ad hæc Socius: cur excipis, increpo, riſu
Dicta tuo? falſos non damus ore ſonos.

Vera

Vera loquor: mea Rex hodie dignatus adire
  Tecta fuit: metuis credulitate capi?
Tangere rem ſibi viſus *acu* velut Oedipus alter;
  Ludis, & ambiguâ voce jocaris, ait.
Nomina quis neſcit veris pugnantia rebus?
  Rex erat interdum nomine, rebus inops.
*S*æpè fuit domino titulus ſpecioſior ipſo:
  Nominis hanc laudem vir quoque vilis habet.
Belgicà plus denis numerat cognomine Reges:
  Regia ſed ſolus jura Philippe tenes.
Nec lucos lucere reor, nec parcere Parcas:
  Nec Mundum mundum, bellaque Bella voco.
Lux tamen in titulis & gratia ſplendicat illis:
  Sed quàm vox præfert, gratia rebus abeſt.
Sic olitor *Comitis* titulos, ſic helluo geſtet
  Cæſaris; anne ideo Cæſar hic, ille Comes.
Sunt multa in populo vocum ludibria: novi
  Luminibus clarum; nomine *Cocles* erat.
Sic modò quem jactas, ſpecioſo nomine gaudet
  Advena; clara tibi eſt non tamen inde domus.
Hæc Socius reſponſa dabat: tam rarus amator
  Delicias meminit, diva Synaxi tuas.
Nec mora rem pando: tituli velamina tollo:
  Mox dedit is victas ad mea verba manus.
Dic age: num Cœli Regem ſub tegmine panis
  Excipiunt noſtri tecta caduca lares?
Excipiunt: ſuperoque licet non digna *S*enatu,
  Parva tamen fruitur Rege, Deoque caſa.
Ædibus ille meis hodie tentoria fixit:
  Veſpere quin memori manè peracta colam.
O mihi ſi præſtet, quod agunt Heroes, JESUS!
  Linquat & hoſpitio nobile ſtemma ſuo.

O mihi ſi memori remaneret imagine fixus!
Et ſtabili mecum tempus in omne fide.
Alter ad hæc: caſtos moliris vocibus ignes:
Sympoſio veniat ſymbola noſtra tuo.
Et rectè; quem verſo manu quandoque libellum,
Is de ſacratâ multa Synaxi movet.
Hæc docet è multis; ſumptâ caro proficit eſcâ:
At ſacer in mentes EUCHARIS ignis agit.
Eſca ſit illa licet; mores tamen inſtruit ipſos:
Parte facit valeas ut potiore tui.
Sit Scytha, ſitque Getes miteſcere diſcet ab illa:
Subſidetque animo, qui fuit ante tumor.
Sic redolet lenem, qui balſama tractat, odorem,
Sic humus innatæ fragrat odore roſæ.
Cùm violas pleno diſpergit Flora caniſtro;
Et violas latè naribus afflat ager.
Sic ubi per ſylvas ſaliet fons ubere rivo,
Longius effuſis terra madeſcet aquis.
Cui fons ergo ſacer, cui flos, cui dives JESUS
Fit medius, cæli munere quantus erit.
Contulit in verſus iſtos pia ſen ſa Sodalis:
Lætus ab audito carmine plauſit Amor.

ELEGIA DECIMA QUINTA.

Quæ honoris officia, quævè ſollicitudo Sacram Synaxim ſubſequi debeat.

CHriſtus adeſt: aſſurge animis: Piger excute ſomnos
Invigilans Sacris *Hoc age* clamat Amor. [a]
Munere Præconis functus fungatur Amantis:
Quâque valet partes ſuppleat arte tuas.
Primus in officiis adſit; ſeu voce diſertâ,
Seu potius factis, Hoſpite digna ferat.
Aſpicis ut caleat viſo Zacchæus JESU?
Ut laris, ut cordis pandat utraſque fores.
Hic captat molles aditus & tempora velox:
Ne ſibi de feſta pars labet ulla die.
Nec mora: prolixâ diſpertit munera dextrâ:
Et quæ mente capit gaudia prodit amor.
Hic quoque debilior ſexus ſe fortior ipſo eſt:
Teſtis es igne tuo Magdala, Martha tuo.
Inſtruit hæc menſas epulis quo paſcat Amantem,
Illa vigil ſacros permanet ante pedes.

Quid

a *Hoc age, vox eſt à Præcone declamari ſolita in Sacrificiis Antiquorum.*

Quid Solymæ faciunt? vehitur dum Chriſtus aſello,
Cantat iö lætis turba Triumphe modis.
Pars chlamydes ſternit: pars demetit arbore ramos:
Pars hilari jactat florea ſerta manu.
Diſſimilis labor eſt, idem tamen omnibus ardor:
Unanimi Regem voce, manuque colunt.
Sed mutata fides & amor vice mobilis auræ:
Illaque de ſtipulâ flamma brevíſque fuit.
Ultimâ quàm primis cedunt! dum livor & ira
Præcipitant ſenſus, vilis Apella, tuos.
Emptus enim eſt auro teſtis, mendaxque tribunal:
Inque ſuum cives tela tulêre ducem.
O auri pretioſa ſitis! ſcelerumque magiſtra!
Quæ ſacri extingui ſanguinis imbre velit.
Fac metuas, ne qui ſimili de plaſmate ſurgis,
Par quoque ſis animi mobilitate tui.
Et quem lux hodierna colit, tuus aſſerit ignis
Fortè neget te lux craſtina ſcire Deum.
Auri ſacra fames pariter nos exedit: acer
Nos quoque quærendi nominis ardor habet.
Tertia Cypris adeſt, & non minor illa duobus,
Hoſtis; & immunes non ſinit eſſe metu.
Quid facias in tres, impar congreſſibus uni?
De tribus his in te plus ſatis unus erit.
Ducimur illecebris ſentimus damna volentes?
Materies culpæ, ſtirps quoque prima ſumus.
Pectus adurentes igitur compeſce favillas,
Intentant ſacris quæ fera bella focis.
Aſt age nulla Venus, non famæ, aurique cupido
Te ſubigat: nudes ne tamen enſe latus.
Styx tot amara bonis quæ nobilis intulit hoſpes,
Exitio vires jungit & arma tuo.

Ille

Ille breves ſomnos faciat tibi pervigil hoſtis:
Ille Sinon pluſquam Troica damna movet. *a*
Nî vigiles; jam furta Deûm plorata Labanis
Lugubris in vero Numine ſcena gemet. *b*
Cæleſtes tibi poſce Aquilas; mora nulla, volabunt
Aligerûm celeres ad tua vota chori.
Tutaque præſidiis tentoria, pectora pandent:
Ac retegent cæcos mente ſagace dolos:
Ut nemo tibi præſtet opem, tuus adſtat JESUS:
Ille tui cuſtos fiet, & ille ſui.
Tu modò funde preces; pedibusque affuſus Amici,
Quæ libas, lacrymis oſcula merge tuis.
Deſidiæ cave ferre notam; vetat ardor amantis,
Ah ne tanta pigro torpeat eſca ſitu!
Sit grave Chironi medicos præſcriptus in uſus
Si faſtiditus defluat ore liquor.
Juſtiniane fremas ſi te dictante Magiſtro
Dogmata Patronus negligat apta ſequi.
Cùm piger eſt ſumptas calor exercendus in eſcas,
Sub ſtomacho moles deſide cruda manet.
Talia ne divis admitte piacula menſis:
Pervadat Cibus hic pectoris ima tui.
Nî terræ gremium pluvius perfuderit imber,
Rore levi madidâ pauca legentur humo.
Cui dederis jus hoſpitii, non prima Sodalem
Atria, non tecti limina ſola vident.
Sed ſimul in formoſa domus penetralia ducis:
Quæque valent oculos paſcere, viſa voles.

Hoſpitio

a *Doloſique arte Sinonis, Virg. lib. 2. Æneid. Capitur hic pro fraudulento.*

b *Laban querebatur: cur furatus es Deos meos? Geneſ.* 31.

Hoſpitio Xenium gens addere priſca ſolebat:
Hic cave ſit cordis flamma remiſſa tui. *a*
Ah malè torpeſces ubi Chriſtus ſpirat amorem:
Convenient uno flamma, geluque loco.
Hunc *pluſquam Salomona* colas: dignumque ſedenti
Exhibeat ſolium nobile mentis ebur.
O bene! ſexdeni ſi militis inſtar in armis
Illa vigil ſacros excubet ante toros. *b*
Neglectâ noli ſomnos captare lucernâ
Ad tua cùm Sponſus limina flectit iter.
Suffice maturè morienti pabula flammæ
Nî frater fatuæ virginis eſſe velis. *c*

ELEGIA DECIMA-SEXTA.

Ad Reverendos Sacerdotes de ipſorum dignitate, deq; officio.

MYſtarum cœlo, & terris venerande Senatus
Sit rogo vobiſcum fas mihi pauca (loqui.
Ad vos demiſſis oculis, ac ſupplice vultu
Tendit ut imparili noſtra Thalia (pede.
Aſſiſias dicat titulis quæ debita veſtris
Gloria; non dubiâ talia voce dabit.

Ad

a *Xenium erat donum quod hoſpitibus offerebatur. V. Martial. lib.* 13.
b *Lectulum Salomonis* 60. *fortes ambiunt, &c. Cantic.* 3.
c *Dormitaverunt omnes, & dormierunt. Mat.* 25.

Ad me de ſuperis Genius ſacer advolet oris,
Et lateri Myſtes ſit comes inde meo. *a*
Huic primas in honore darem; licet alter ab aſtris
Nobile, vile genus ducat ut alter humo.
Nec ſimilis culpetur honos: nam deme Tonantem,
Quid Myſtâ majus maximus Orbis habet?
Illa Dei pariter tenuit reverentia Matrem;
Sola tamen terris ſuſpicienda fuit.
Juſſa Zebedidę Genitrix: quia Myſtica tractat;
Se minor hoc fermè nomine viſa ſibi eſt. *b*
At nec ſupremæ titulos oblita Parentis
Nec ſibi quid geminus debeat Orbis, erat.
Quid tamen & Myſtæ liceat, quid in æthera poſſit
Conſcia, grande colit ſupplice mente decus
Si ſemel ipſa Deum patriis deduxerit aſtris,
Plus ſemel id Sacris gens operata facit.
Quique *domo panis Bethleem* prodivit in auras
Nunc panis latebras geſtit adire Deus. *c*
Os validum! vox illa potens! quæ Numen in ipſum
Jus habet; & Cereris ſindone mira tegit.
Deficit hîc Vates: non eſt par tanta canendo:
Prædicet ipſe ſuum nobilis author opus.
Ad voces Joſuë medio certamine miſſas
Deſiit incœpta ſol properare viâ. *d*

Excepit

a *In vita S. Franciſci de Aſſiſio.*
b *B.V. data S. Joanni in Matrē, fertur ſolita de ejuſdem manu communicare.*
c *Ut alibi dictum hebraicè Bethleem domus panis eſt. Ibi verus amicorum panis Chriſtus eſt natus.*
d *Sol contra Gabaon ne movearis, &c. Stetit itaque ſol, &c. Obediente Domino voci hominis, &c. Joſue, 10.*

Excepit data juſſa Deus: prælusit amori
Ipſe ſuo: authoris ſol fuit umbra ſui.
Ipſemet alterius qui verba ſecutus amator
EUCHARI ſe quondam ſiſtere vellet, erat.
Clara Sacerdotum Bernardus ſuſpicit acta,
Oraque gemmatis non niſi digna ſeris.
Et cenſor vult danda levi ſua fræna loquelæ;
Turpibus & veniam denegat ille jocis.
Qui nitor eſt auro, quæ lux cryſtallina fonti,
Transeat ad mores, inclyte Myſta, tuos.
A Superis tibi delatos circumſpice faſces:
Et ſacrò faſtu pectora celſa gere.
Fis Chriſto cælum: titulos virtutibus implens
Aſtra ſinas cælo nulla deeſſe ſuo.
Jus aliquod tecum faciunt affinia Chriſto
Vincula: cognati ſanguinis ede notas.
Præ reliquis ipſi es fraterno *Sanguine* junctus:
In generoſa cave pectora culpa cadat.
Ulterius molire gradum: te paſſer, apisque
Provocat: exercet lætus utrumque labor.
Si leve ſtramen onus teneat ſi plumula roſtrum;
Paſſeris in nidos iſta parantur, ais.
Menſe dein lapſo ruptis grex parvus ab ovis
In matris curas proſilit, inque metus.
Aſpicis hanc ſubitis tranare volatibus auras,
Suggerat ut cupido pabula parva gregi.
Itque, reditque frequens; repetitaque buccea fertur,
Dum tener in volucres grex adoleſcat aves.
Póſtque dies aliquot roſtrum dureſcit, & unguis:
Velantur plumis mollia membra ſuis.
Hinc alas pullus quatiens ſe credere cælo
Tentat; & è molli carcere ferre pedem.

Hîc

Hîc tua res agitur, ſacra qui myſteria tractas:
Te ſibi vult nidum Gratia, poſcit Amor.
In te quærit amans virtuti ponere ſedes;
Pendet ab officio ſpes quoque magna tuo.
Ne votum eludas, donis tibi ſupplicat amplis:
Armatas doni novimus eſſe preces.
Non abit ulla dies, niſi quam ſocordia fœdat,
Quin tua cæleſti compleat ora dape.
Hinc petit incrementa: venit poſt ſemina meſſis,
Et ſata cum multo fœnore reddit ager.
Idque ſuſurrat apis, diſtendens nectare cellas
De violæ lecto, déque liquore roſæ.
Turgida ſæpe fuit liquido ſi buccula furto,
Arte laboratum dulce rependit opus.
Te, Myſtes, pia ſpectat apis; quæ complet amico
Melle favos, quavis officioſa die.
Illa tuo fixura ſinu ſua mella, per altos
Elyſii colles in tua liba volat.
Ergo ſacræ ſis nidus *Avi*; nectarque daturæ
In te cæleſti cella paretur api. *a*

a *S. Gregor. in Evang. Concione* 29. *Per figuram, ait, Job Dominum avem vocat dicens de infidelitate Judæorum: Semitam ignoravit avis.*

ELE-

ELEGIA DECIMA SEPTIMA.

CHRISTUS excipitur in domum ſuam; animique ad illum pia deſideria.

HOſpes ades felix; ſuperi de culmine Cœli
Hanc dignate Deus comis adire domum.
Quò tua te pietas, & amor rapit impiger ire,
Optati nobis ominis hoſpes ades.
Aſſurgit domus ipſa tibi: ſic nempe fatetur
Cujus ab artifici ſit fabricata manu.
Te dominum, te agnoſcit herum: jus ſolus in illam
Omne tenes; à te nobile ſurgit opus.
Da veniam, ſi reddiderim laris incola, vile
Deque meo aſpergens pulvere, deque luto.
Heu! quàm diſſimilis domus eſt, quàm diſpare cultu
Illi, quam ſacræ perluit humor aquæ.
Cùm primùm pede tacta tuo nivis æmula puræ,
Auróque & gemmis viſa micare fuit.
Fons laticis vivi! greſſum huc dignate referre,
Da pariter lymphas quas Samaria tulit! *a*
Mox repetet noſtras nitor, & nova gratia ſedes;
Auláque mox fiet quæ prope caula modo eſt.

Do

a *Joann. 4. Domine da mihi hanc aquam, &c.*

Do Domino claves : obeas loca cuncta ; decorem
  A ſacro referant ut loca cuncta pede.
Quinque ſuperpoſitas numerat domus arcta feneſtras
  Et numerus Dominum reſpicit ipſe ſuum.
Quem te Dive canam ! qui ſarta maneret ut ædes,
  Barbarico quinum vulnus ab hoſte refers.
Quinque locis te læſit Amor : mala cætera mitto,
  Quæ nec ſuſtineat dicere, ſi quis amet.
Hei mihi ! quàm magno ſtetit hæc tibi fabrica ſumptu
  Divini pretium ſanguinis illa fuit.
Cui malè ſervati cuſtodia credita tecti
  Quo miſer, impenſas te repetente ferar ?
At ſcio, non exactor ades, non advena vindex
  Sed cupido promptam ferre paratus opem.
Scis quoque materiâ conſtent quàm tecta caducâ ;
  Quæ fragilis vitri vix meruêre fidem.
Si qua tuo fuerint, ut ſunt temerata cubili,
  Si qua labant, ſi pars fortè revulſa deeſt.
Intulit hoc Ancilla mali, Natalis ab ortu
  Quæ mihi te manſit juncta volente comes.
Illa Noto levior, ludens ſub mille figuris,
  Inque feneſtellas involat inque fores.
Ipſa ſibi jus omne domus, dominæque potentis
  Arrogat : Ancillæ nil niſi nomen habet.
Néve manu mittam, vinclum mihi ſanguinis obſtat
  Cognata eſt ; dicam verius hoſtis ea eſt.
O hominum Divûmque Parens ! ô Arbiter Orbis !
  Qui vento, & levibus qui dominaris aquis.
Effrenes diſcat duce te componere motus :
  Frænáque Regina ſub Ratione pati
Quin age tu potius noſtras ne deſere ſedes :
  Ad quas æthereà lapſus ab arce venis.

Nam

Nam qui te veniente locus geſtire videtur,
 Humeſcet lacrymis, te fugiente, meis.
Quod ſi mente ſedet fixum mea linquere tecta,
 Dive, tui ſaltem ſtet nota fixa memor.
Da ſignata tuo maneant veſtigia greſſu
 Qualia fert, ex quo ſcandis in aſtra, locus.
Aut qui nos hodie tecto ſociavit eodem,
 Mutua fac divus pectora jungat amor.

ELEGIA DECIMA-OCTAVA.

Qui ſacram menſam adiit, abjectâ impuritate divina ſapiat, colatq; virtutem.

SParſeris ut multo ſacra pulvinaria flore,
 Poſt actas grates, poſt data thura focis.
Ut tibi vicinum prece ſollicitaris Amantem,
 Occupet ardores altera cura tuos.
Ne qua lues morum, & vitii contagio ſerpat,
 Quæque Dei Numen lædere noxa ſolet.
Admiſſo fera monſtra Deo reſcinde: Dagonis
 Non patitur ſecum Fœderis Arca moram. a

Pax

a *Arcâ Fœderis (erat illa muta quædam Chriſti figura) juxta Idolum Dagon collocatâ, Dagon corruit.* 1. *Reg. c.* 5.

Pax nivibus flammiſque prius nox ante diei,
Antè lupis timidæ conſocientur oves.
Non te credo fugit quæ prælia Mempheos oris
Geſſerit ille Puer dulce Parentis onus. *a*
Niligenas Iſes perhibent, & Oſiridis aras,
Et fœdè fractos procubuiſſe Deos.
Sic ubi conſpicuum Sol ſpargit in aëre lumen
Diffugiunt toto nubila pulſa polo.
Sed mala fórs animo fixis radicibus hærent;
Monſtraque per longas invaluêre moras.
Funde preces: licet hydra, licet draco pervigil adſit,
Hoc Alcide draco pervigil, hydra cadet. *b*
Præſit Amor; ſervetque vigil cuſtodia ſedes,
Et loca quæ ſacro preſſa fuêre pede.
Parce Dei temerare aditus: cælentur in auro,
Excubet his Pietas Relligioque locis.
Os Majeſtatis ſolium, ſtatioque Decoris
Non ſe commaculet liberiore joco.
Pulpita conſcendit linguæ Sapientia: verba
Nunc ſale condiri, quæ dabis ore decet.
EUCHARIS attactu tibi lingua ſit eucharis: oſque
Melle ſacro tinctum felle tumere veta. *c*
Pectus amarities non aſperet, ira palatum
Lactea quà Probitas, mellëus ivit Amor.
Quid multis? cœlo tranſcriberis: ætheris author
Omne tui ſibi jus vendicat; omne ferat.
Quæ ſubſtrata Deum Cereris ſub nube latentem
Vela ſemel tulerint, vult ſibi ſacra Deus.

a *B. Virgine Filiolum JESUM in Ægyptum portante, Deorum ſimulacra corruerunt.*
b *Ab Hercule domita Hydra ſepticeps.*
c *Lingua Eucharis, hoc eſt gratioſa.*

Quæ lęvis Myſtæ facienti lamina ſervit
  Illi ſacra, ſuo quem tulit orbe, manet.
Quamque brevi ſemel hoſpitio dignabitur idem
  Capſula, fert titulos Hoſpitis illa ſui.
Os, oculos, pectus ſibi jure repoſcit eodem
  Quæ ſacer attactu jam ſua fecit Amor.
Ille tenax juris repetet ſibi debita vaſa;
  Nec Sacra fœdari, proſtituique ſinet.
Sic Divûm calices uſu violaſſe nefando
  Baltaſſar tragicâ Rex tibi morte ſtetit. a
Aut quis diſſimulet ſacræ cuſtodibus eſcæ
  Impoſitum thecis, pyxidibúſque lutum?
Mens labet aſpectu: rigeant horrore capilli:
  Víxque mali faciem lumina ferre queant.
Si quis adeſt facto, ſontem celeri occupat auſu;
  Et pœnæ lentas non capit ira moras.
Devovet & Diris, illique extrema precatur
  Reddat ut ablatum publica pœna decus.
Te menſæ Conviva ſacræ, data fabula tangit:
  Muſáque quid fugias, quidve ſequare monet.
Theca cor eſt, oculi calices: vice pyxidis ora,
  Hæc aperis libitu, claudis aperta tuo.
nisi Quid ~~mihi~~ divinum ſpirent? ſacer adſtitit illis
  Hoſpes; & admoto ſancta fuêre Deo.
Ille ſuas veniens afflavit Numine ſedes:
  Dilabi memores ne patiare notas.
Hoc pecus ipſa docet: mentis quantumlibet expers,
  Neſcio quis brutis ſenſus honoris ineſt.

Pectora

a *Daniel. 5. Allata ſunt vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat de Templo, &c. eâdem nocte interfectus eſt Balthaſſar Rex Chaldæus.*

Pectora Bucephalus geſſit generoſa, nec ullo
  Præter Alexandrum ſub domitore fuit. *a*
Sic dedignatur dominam qui Præſulis olim
  Senſerat Etruſci fræna Joannis equus. *b*
Antiquum detrectat onus: quæque ante regenda
  Præbuerat, ſolitæ colla recuſat heræ.
Ceu decoris ſibi delati jam conſcius eſſet:
  Non alium vector ſuſtinet ille ducem.
Imò quis hoc credat? non vult moriente ſuperſtes
  Amplius in vivis degere mulus hero.
Serviit ille tibi, titulis illuſtris Aquinis.
  Dive: ſed ut vitæ ſtamina Parca ſcidit· *c*
Fixa ſibi mulus rupit quoque vincla; cadensque
  Ante pedes domini quem veneratur, obit.
O quid nos non bruta docent! his multa Magiſtris
  Vel rationales edidicere ſcholæ,
Res etiam mutæ ſine ſenſu ac voce fatentur
  Quam deceat veræ laudis amore trahi.
Magnanimos recolas memori ſi mente caballos,
  Senſibus inſiliet víſque vigórque tuis
Os, oculóſque reget Ratio: ſibi Numen habebit
  Pectora non aliis proſtituenda procis.

a *Equus Alexandri magni fertur non ſe paſſus ab alio regi,*
b *Vide officium Rom. ſive Breviarium 27. Maii feſto Joannis Papæ & Martyris.*
c *In vita S. Thomæ de Aquino.*

ELEGIA DECIMA-NONA.

De viſitando frequenter in Templis Venerabili Sacramento.

QUid facit ad murum, quem calx incru-ſtat, apricum,
Cum numero & nigris linea ducta notis.
Nil numeri proſunt: Index agit otia caſſus
Si latet obductâ fulgida nube dies.
Nec niſi ſol radiet dabit horam noſcere gnomon,
Nec tacitâ terris tempora voce feret.
E nebula Sol prome caput: tibi ſupplicat Index
Implorans radios: ASPICE; RESPICIAR. a
Fac terris umbram diffuſâ luce; ſuique
Diriget objectu ferrea virga diem.
In meliora feror: mihi caſte Synaxis Alumne,
Jungere: Sol alius, quem veneremur, adeſt.
Neſcius hic mergi nebula ſe purior effert,
Sentit & illius noxque, dieſque facem.
Si Cereris ſe nube tegit, magis inde coruſcat;
Et jacit exiguo grande ſub orbe jubar.
Huc oculos, huc tende manus: prior æde ſacratâ
Ille manus ad te tendit, & ora Deus.

Huic

a *Eſt epigraphe ſymbolica horologio ſolari affigenda: ſignificans illud nunquam aſpici niſi prius à ſole, ut ita loquar, aſpiciatur.*

Huic Soli te ſiſte frequens : ad amabile pectus
Sæpè redi : ſacram ſæpè reviſe domum.
Sic canis exemplo mihi fas in amoribus uti :
Exemplo tangi vix propriore potes.
Pane, vel abſumpto quod herus porrexerit, oſſe
Mox redit, osque refert ad nova fruſta canis.
Blanditur feſtivo oculo, caudâque rotatâ :
Fidus amicitiæ cultor herilis adeſt.
Spectat herum conſtans, avidis quem rictibus ambit
Cui cum luminibus ventris inhæret amor.
Non mittenda cani tibi fercula legat JESUS :
Ipſius an meriti gratia vana foret ?
An tibi cor ſineres alienis ignibus uri
Oblitusque dapes æthereumque penu ?
Illa tibi potius celebretur honoribus eſca :
Ad ſacra tecta frequens, ad tua lucra redi.
Quam pede pręcipiti loca feſtinamus ad illa
Quæ modicâ nobis utilitate favent !
Spe trahimur lucri : celeres prævertimus Euros
Cum nos blandus honor, cumque lucella vocant.
Spe ſimili ductus, per mille pericula vitæ
Mercator ſolitas itque, reditque vias.
Hac ſpe, ſquammigeros lino qui fallit & hamo
In ſibi felices retia jactat aquas.
Hac ſpe, venator facili juga cognita prædâ
Quærit, & hirſutis obvia luſtra feris.
Hac ſpe creber obit non ſurdi liminis ædes
Exiguæ pauper qui petit æra ſtipis.
Spe templum meliore petas : vocat EUCHARIS ; illic
Quæ profundat Amans munera dives habet.
Non fera, non piſcis, non te lucra parva manebunt :
Grande viæ pretium nobilis Hoſpes erit.

Corde

Corde tuo nuper ſibi fixerat advena ſedem:
Adventus memores iſtius ede notas.
Quam ſubiêre duces (fac ſit modò prædita ſenſu)
Ecqua Ducum poſſet non memor eſſe caſa?
Hunc ſaltem dignare oculo, dignare ſalute
A quo ſæpè tibi luxque, ſalusque datur.
Huic aliquot certè ne ſit grave reddere paſſus
Qui pro te ſuperâ vertit ab arce pedem.
Non oculus, non pes fructu figetur inani:
In rem totus hic eſt pes oculusque tuam.
Ipſe pedum motus, jactus percenſet ocelli
Et numerum officiis vincit utrumque ſuis.
Siſtitur huic Petrus; ponit mox petra rigorem;
Et ſine percuſſu Moſis abundat aqua. *a*
Magdalis ut ſpectat, ſpectatum teirita ſenſit;
Et quæ pallor habet mox notat ora pudor.
Dux Aquitanus adeſt; radios ubi Myſtice vibras
Phœbe tuos, animi ſolvitur acris hiems.
Quę jaculatur Amor non eſt tot tela ferendo:
Objiciunt nullas pectoris arma moras.
Sternitur: at motis plauſit victoria pennis;
Nam minùs erectus, nî cecidiſſet, erat.
Quis modò non adeat facili ſacra limina greſſu
Unde ferat viſus commoda tanta ſui.
Ergo moras abrumpe: nec ut bona tanta reportes
Iſtius pretium ſit tibi vile viæ.
Gens pennata tuum cantat, damnatque veternum;
Quam ſua commoditas atque lucella trahunt.

Semina

a *Et converſus Dominus reſpexit Petrum, &c. Et egreſſus foras flevit amarè, Lucæ. 22.*

b *S. Guilielmus Dux Aquitanorum, Pictaviæque Comes, qui ad aſpectum Venerabilis Sacramenti, quod S. Bernardus ferebat, corruit.*

Semina quà terris mandavit prima Colonus
Hac ferri videas parte frequenter aves.
Ad Ceraſos paſſer didicit convertere pennas:
Multus & in vites, dum tumet uva, ruit.
Itque, reditque frequens virides formica per herbas,
Farrilego tenuem quæ vehit ore cibum.
Quin ſimul ire juvet quo nos invitat opimis
Fructibus, & cœli farre beatus ager?
Ire juvat: ferimur quò nos rapit ardor JESU,
Huc ego milleno tendo Poëta pede.
Caſtalis ille mihi eſt: illuc bene lympha recurret
Rivulus unde mei carminis omnis iit.
Muſa ſacris affige tholis tua plectra: meumque
Ad Superos defer dive volumen Amor.
Defer; & in flammas abeam cum codice Vates:
Victima ſic operis, quod canit, author erit.
Excipe tu vultu placido Vatemque librúmque
O JESU populi flamma beata tui!
Has ego ſcintillas mediis velut ignibus hauſi,
Quos tuus in terras ejaculatur amor.
Fac precor ad plures abeant: & amore ſubacta
Accedent titulis omnia corda tuis.
Talibus illecebris quis nolit cedere? non ſim.
Ille ferus quem tu ſic adamas, adamas.
Quot liber hic verſus, verſus quot verba, quot illa
Litterulas capiunt, punctáque litterulæ,
Litterulis, punctis, verbis, & verſibus unum,
Vive DEUS! totidem corda tot ora ſonent.

FINIS.

ERRATA.

Pag.	Lin.
21	12 ambo *pro* avido
22	20 docet *pro* dolet
32	18 melioton *pro* meliloton.
53	22 humamos *pro* humanos
68	9 aguitur *pro* arguitur
73	11 proprior *pro* propior
202	24 perſpicere *pro* perſpiciere

HAG 2016949

Digitized by Google